7
15-b
77

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
31 K
38

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-12.B.28

58 58 58
E E D
27 27 29

Digitized by Google

M350

Digitized by Google

Digitized by Google



Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM SANCTISSIMI APOSTOLORVM PRINCIPIS PETRI

È ſacris literis, SS: Patribus, & ꝓbatiſsimis Scriptoribus concinnatus

Operâ ac ſtudio

R.P.F. Caroli Stengelij, Ord. S: Benedicti Mon: SS. Vdalrici & Afræ Aug: Vind: Profeſſi

AD SS: D.N. PAVLVM V: P.O.M.

M. DC. XX.

…OTECA NAZ. ROMA …RIO EMANUELE

Digitized by Google

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, ET D. N.

PAVLO V.

P. O. M.

F. CAROLVS STENGELIVS felicitatem ſempiternam.

VT D. PETRVM *Apoſtolorum Principem, non quidem pro ſuâ dignitate, pro meâ tamē facultate laudatum Tibi,* SANCTISSIME PATER, *dedicare auderem, multæ fecerunt cauſſæ, è quibus tres duntaxat excerpam, quæ, ut opinor, meam hanc audaciam ſatis ſuperq́; mundo excuſabunt. Sunt autem iſtæ. Tua dignitas. Tua clementia ac beneuolentia. Aliorum potens ſuaſio.*

Dignitas quidem Tua. Summus enim es in

Digitized by Google

terris: apud quem igitur ſummus hoſpes PETRVS *potiore iure diuerſetur, quàm apud Tuam Sanctitatem? Cuius Tu, cùm non tantùm in officio ac poteſtate, ſed etiam moribus & virtute ſis ſucceſſor, tantò etiam libentiùs apud Te diuerſatur, quantò Te ſcit eſſe ſibi ſimiliorem. Neq; me ſedem* PETRO *aliam quærere decuit, quàm ſuam, hoc eſt, digniſsimam, ac ſanctiſsimam. Accedit, ut hoc faciam, exemplum Panæborum, quibus tanta erga Reges ſuos reuerentia fuiſſe legitur apud Nicolaum Damaſcenū in Panæbis, ut poſtquam defuncti Regis corpus terrâ condidiſſent, Caput illius ſeorſim inaurarent, atque ſummâ diligentiâ in ſacris collocarent. Caput ergò totius Eccleſiæ* PETRVM, *ubi decentius reponam, quàm in ſacris Tuis manibus? Vtinam ſatis à calamo meo deauratum: ſed hoc ipſum cogit ut in Tuis illud manibus collocem; ſi enim à meo calamo non eſt ſatis deauratū, poterit à Tuis ſanctiſsimis manibus, quæ potentiâ Midam longè ſuperant, cùm & cælum pandere, & orcum claudere norint, manus utique doctæ aurum producere, quæ etiam ferreas hominum conſcientias in aure-*

um vi-

Digitized by Google

um vitæ ſtatum reducere didicerunt.

Altera cauſſa; Clementia Tua atque beneuolentia. Poſtquam enim intellexi, Te ita ad culmen omnis dignitatis aſcendiſſe, ut etiam hæc ima noſtra, & quaſi humi naſcentia ſcripta perlegere non dedigneris, Soli parem, qui in cælo conſtitutus, non ſolùm montes, verùm etiam valles luminis ſui radio beat, tùm verò animus gliſcere cæpit, & quodammodò accenſus eſt; ut vellet oſtendere nihil in terris ita ut Vultum, nutumq; Tuum ſibi eſſe poſſe pro flammâ à quâ incaleſceret. Aſterite lapide, ut Ptolomæus Hepheſtione prodit, Helena olim ſuas obſignabat litteras, cuius ea vis eſſe fertur, ut Soli obiectus accendatur. Ad eundem ferè modum litteras libroſq; meos Reuerentiâ erga ſacram Sedem Apoſtolicam, tamquã Aſterite quodam obſignandos eſſe cenſeo: Cuius quidem obſeruantiæ ea eſt natura, ut Summi Pontificis oculis, tamquam Soli obiecta mirificè accendatur. Pulcherrimæ enim approbationis argumentum, & ad laborem velut calcar eſt, à Summâ Sede non repudiari.

His acceßit tertia quoq; illa, nec exigui momẽ-

ti cauſſa, magnorum ſcilicet auctoritas virorum; qui ſuaſu, immo iuſſu (nam iubere eſt, cùm tanti ſuadent) ſuo me impulerunt, ut Sanctitati Tuæ, è tot ſcriptis unum dedicarem. Coronidem ſcilicet laboris honeſtiſſimam arbitrantur, ſi vel librum Nomine Tuo condecoratum aſpiciant. Inter hos ſuaſores vel primus fuit, Perilluſtris ac Reuerendiſſimus D. Conſtantinus Abbas Caietanus, Sanctitati Tuæ à ſacris literarum monimentis, qui credo, ut meum laborem huc uſque paternè fouit, ita Tuæ quoque Sanctitatis nomen, honoremq; quàm latiſſimè promouere cupit. Neque enim ſatis eſt magno Nomini Tuo in magnis libris legi, ſi non & in paruis reperiatur. Nam neque Deus ipſe tantus eſſet, ſi tantùm in palatijs, & non etiam in caſis, tugurijsq; inueniretur. Digna eſt ſcilicet Sanctiſſima Paternitas Tua quæ à magnis pariter paruisq; decantetur.

Suſcipe ergò SANCTISSIME PATER *hunc meum librum, hunc calamum, hanc manum, hanc vitam, omniaq; vitæ meæ momenta; quæ utique Diuinæ Maieſtati non diſplicebunt, ſi à Tuâ Sanctitate approbentur.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. I.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

Simonis Petri parentes & patria. Idem ab Andreâ fratre ad IESVM adducitur.

PETRVS Apoſtolorum Princeps, Simon ſeu Simeon antea dictus (nam Simeon idem vnum ſunt nomen diuerſimodè prolatum, quod à *Samach* audire deriuatum eſt. *Quoniam,* inquiebat Lia, *audiuit me Dominus haberi contemtui, dedit etiam iſtum mihi, & vocauit nomen eius Simeon,* ſeu, vt Hebræi pronunciant, Simhon [a]) frater Andreæ Apoſtoli, Ioanne, ſiue Iona patre natus eſt, vnde & ab ipſo Chriſto *Bar Iona* dicitur [b]. Nam *Bar* Syris filius dicitur, qui Hebræis *Ben. Iona* vtraq; linguâ columbam ſignat; eſtq; proprium nomen patris Petri; quod quidam putant (referente inter alios Hieronymo) ex *Iohanna* contractum aut certè deprauatum, quia alibi [c] latinè legatur: *Simon Iohannis diligis me plus his?* Seruit autem *Bar Iona* ſeu fili Iona cognomenti loco, Hebræorum more, quorum cognomina, quibus inter ſe diſtinguebantur, à patribus ſumebantur. Vnde Dauid filius Iſai, Saul filius Cis, Ieroboam filius Nabath, appellantur. *Ex confeſſione,* inquit D. Hieronymus, [d] *Petrus ſortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu ſancto habeat, cuius & filius appellandus ſit. Siquidem Bar Iona, in lingua noſtra ſonat filium columbæ.* Natus eſt autem (vt ex ætatis eius annorum numero colligo) anno ab orbe condito 4034. à diluuio 2378. Vrbis conditæ 734. triennio ante B. Virg. Mariam, & decimo ſeptimo ante Chriſti Natiuitatem,

Petri nomen Simon.

a Gen. 29. v. 33.

b Matth. 16. v. 17.

c Ioan. 21 v. 15. 16. 17.

d In Matth. 16. c.

Digitized by Google

uitatem, Octauiani Auguſti octauo, à pugnâ Actiaca duodecimo, à primo Conſulatu 24. Herodis Regis 20.

Patria Bethſaida.

Patria ei fuit oppidum Galilææ prouinciæ, ſitum citra mare Tiberiadis ad littus, Bethſaida, ſic dictum, tamquam piſcationis vel piſcatorum domus, quòd vt erat mari vicinũ, plerique, veriſimile eſt, illius incolæ piſcatores eſſent; nam *beth* domus eſt: *ſaida* piſcatio, ſaide piſcatores, à ſoud piſcari. Hoc porrò nomine ſignificatum fuiſſe videtur, qualis Simon Petrus antea fuerit conditione vitæ, piſcator inquam, & qualis aliquando, officio lucrifaciendi homines Deo, futurus eſſet. Sic ferè Beda. D. Hieronymus [e] verò, Bethſaidam interpretatur domum venatorum: *Sunt*, inquit, *in bonam partem venatores, de quibus ſcribit Ieremias* [f]: *Ecce ego mittam piſcatores & venatores, qui venentur vos de omni colle, & monte. Quos & Dominus mittit ad piſcandum: & fecit eos de piſcatoribus piſcium piſcatores hominum. Vnde & viculus Petri & Andreæ hoc appellatur vocabulo; Bethſaida, enim interpretatur domus venatorum.* Hic addendum quoque videtur, quod Ioſephus [g] ſcribit de Philippo tetrarcha: *Vico etiam Bethſaidæ, in ripa lacus Genezarethini, urbis ſpeciem addidit, frequentato incolis; & aucto opibus, quem Iuliæ Cæſaris filiæ cognominem eſſe voluit.*

e In c. 28 Ezech.

f cap. 16.

g lib. 18. Antiq. cap. 3.

Deſertum Bethſaidæ vbi fuerit.

Porrò è regione Bethſaidæ deſertus erat locus, & ad Bethſaidam pertinebat. Bethſaida quidem in citeriore littore erat, deſertus verò locus in ulteriore: qui quoniam ciuitatis poſſeſſio fuit, Bethſaidæ locus à Lucâ [h] dicitur. Adrichomius ſic de hac re ſcribit: [i] *Mons Chriſti, ſic dictus, quod Chriſtus in eo ſolitus ſit orare, & prædicare abeſt à Capharnaum tribus milliaribus, non procul à mari Galilææ. Hic diuina oratione integras noctes Chriſtus traxit, hic Apoſtolos 12. elegit, hic inſigni ſermone de Beatitudinibus, & euangelicis perfectionibus diſſeruit. Sunt*

h Luc. 9.

i In deſcript. tribus Nephtal. n. 69.

qui

Digitized by Google

qui Chriſtum in hoc quoq; monte quinque panibus & duobus piſcibus, quinque hominum millia ſatiaſſe cenſent, ideoq; locum hunc Chriſti & Apoſtolorum menſam vocant. Quod tamen ultra mare Galilaæ factum eſſe ex Matthæi, Marci, & Ioannis euangelio manifeſtè patet, qui ſcribunt Dominum mare cum Apoſtolis traieciſſe, atq; peracto hoc miraculo Apoſtolis rurſus idem mare tranſnauigaſſe. Hæc ille. Sed hæc de patriâ Petri ſatis.

Porrò is à Chriſto primùm diſcipulus delectus eſt, deindè Apoſtolus, poſtremò cæteris totique Eccleſiæ præfectus eſt. Quod quemadmodum factum ſit, ſigillatim exponendum cenſui. Andreas quidem eius frater, cùm Ioannem, qui Chriſtum baptizauit, dicentem audiret, *k* IESVM eſſe, qui peccata tolleret, eum ſequutus, apud illum eo ipſo die commoratus eſt. Poſtridie mane, poſtquam, quòd eo tempore ſufficeret doctus, ex hoſpitio IESV diſceſſerat, *inuenit fratrem ſuum* germanum, quo non erat alius ipſi aut notior aut charior, cui libentiùs gaudium ſuum explicaret & commune faceret. Nam & Simon eo tempore in Iudæâ aderat, vt Ioannis diſcipulus aut certè auditor: & omninò videntur hi duo fratres coniunctè vixiſſe. *Inuenit* inquam, non caſu, ſed quærens amicum idoneum, ac præſertim fratrem ſuum, quicum inuentum theſaurum communicet, vt ſolent ij qui gaudio feruent, inuento eo quod diu exoptauerint bono, & ſignanter qui veritatis quam aſſecuti ſint amore accenſi ſunt; *& dicit ei* lætitiâ exſultans. *Inuenimus* tandem, ego & ſocius meus & tu quoque per nos, quem diu omnes exſpectauimus & cupidè quæſiuimus. Videtur enim hoc verbum cum emphaſi dictum, & notare, miro Chriſti deſiderio, tam Simonem quàm Andream, priùs flagraſſe, *Nemo enim inuenit*, inquit Beda inter latinos, *niſi qui quærit: iſte qui inueniſſe ſe dicit, oſtendit quia diu quæſierit*. Inter Græcos Euthymius: *Sermo eſt admodum*

k Ioan. 1. V. 36. Petrus ab Andrea fratre ad IESVM adducitur.

Inuenire quis dicatur?

modùm lætantis, ait, *Inuenimus quem quærebamus, quem venturum ſperabamus, quem Scripturæ annuntiauerunt.* Et huius præceptor Chryſoſtomus: *Hoc verbum inuenimus, animæ eſt maximè eius præſentiam deſiderantis, & cælitus aduentum exſpectantis: cuius aduentu exſultans, alios euangelij geſtiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris, ſinceri eſt affectus officium, ut in ſpiritualibus quàm diligentiſſimam curam adhibeamus, inuicem opitulemur.* Addit etiam notanter dicens; *Inuenimus Meſſiam,* illum quem Deus promiſit patribus noſtris, prophetæ deſcripſerunt, Iſraël vniuerſus exſpectat hactenus, & nos ipſi, tamquam qui aduenerit quidem, ſed adhuc lateat ignotus, anxiè quæſiuimus. Hunc inuenimus, mundi Saluatorem & omnis boni fontem, ex indicio Ioannis præceptoris primùm, deinde autem multò magis ex domeſtico colloquio cum eo inito.

Adduxit igitur Andreas Simeonem, deſiderantem vidère IESVM, prout Andreas ipſe quoque inuitabat, ad IESVM; vt perfectè ab eo ad fidem inſtruendum. Non eſt exiſtimandum, quòd Andreas vnum illud ſolum verbum *Inuenimus Meſſiam* fratri dixerit: non dubium quin narrauerit præterea, quomodo Ioanne monſtrante primùm cognouerit Meſſiam eſſe, deinde quomodo ſuperiori nocte apud eum diuerſatus ac colloquio ipſius fruitus, ita accenſus animo, & extra ſe raptus fuerit, efficacitate auditæ diuinæ doctrinæ, vt mens ipſi clarè dictauerit, non poſſe non eſſe Meſſiam, prout Ioannes indicauerat. In hanc ſententiam Chryſoſtomus: *Credibile eſt*, inquit, *Andream plura perſuaſioni accommodata narraſſe, aderat quoque alter diſcipulus, qui iſtà adiuuabat: verùm Andreas, cùm ſuum non eſſet* officium, neque ad tanti luminis narrationem ſufficeret, ad fontem ipſum quem inuenerat fratrem *adduxit.* Auditis enim huiuſmodi, incenſus fuit & ipſe Simon deſiderio videndi atque audiendi IESV, *Conſidera,* ait iterum

iterum Chryſoſtomus, *à principio obedientem & beneuolum Petri animum: cucurrit è veſtigio, nil moratus: adduxit, inquit, eum ad* IESVM, *ut inde totum diſceret.*

Intuitus autem eum IESVS accedentem, antequam cum illo colloqueretur, non quod ad faciem tantùm, ſed multò magis quod ad animũ; *Intuitus* inquàm, beneuolis oculis non ſolùm, verumetiam cor Simeonis penetrantibus, & olim ab eo, ſuæ gratiæ dono, gerenda proſpicientibus. *Reſpicit ut Deum decet, qui corda & renes ſcrutatur,* inquit Cyrillus, *videtq; qui nihil ignorat ad quantam & fidem & virtutem diſcipulus peruenturus ſit;* & dixit: *Tu es Simon filius Iona.* Nam IESVS Simonem ad ſe volens attrahere, quem anteà neque viderat umquam neque nouerat humanitus, vocat eum & ex nomine & ex genere, indicat ei nomen tum ſuum tum patris ſui, vt ex hac occultæ rei reuelatione, concipiat Simon de ipſo opinionem, dignam ijs quæ hactenus, & à fratre ſuo Andreâ, & à præceptore ſuo Ioanne Baptiſtâ, audierat: ſimul etiam perſuadeatur, non vanè prædici futurum id quod ſequitur, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Ex præſenti enim futurum credibile reddit,* quod ait Chryſoſtomus: *nec minùs prophetiæ monent quàm ſigna: Antequam aliquid de eo quæſiuiſſet,* inquit Cyrillus, *tam ipſum quàm patrem eius nomine appellat, & hac re diſcipulum inſtruit, cum ſe eſſe, qui cuncta etiam antequam fiant nouit.* q. d.

IESV de Petro vaticinium.

Ab humilibus & obſcuris parentibus, accepiſti fortuitum & obſcurum nomen Simonis filij Iona: atqui me Chriſto Filio Dei auctore, accipies nobiliſſimum nomen Petri, quod factis etiam ipſis exprimes. Non obſtabit vetus genus, nec prior coditio, quin & nomen & conditionem amplifices, & ſis habearisq; ac voceris Petrus. Sic enim ei promittit nomen nouum Petrus, vt ſimul prædicat longè alium fore

Digitized by Google

quàm modò ſit,nimirum virtute apud Deum, nomine apud homines, magnum fore & periſluſtrem, dignitateq; præcipuum. Non enim promittit Simoni nomen, ex præterito aliquo euentu,aut ex eo quod iam apparebat, ſed ex eo quod ipſe cum Patre ſuo cæleſti,in eius animo & perſonâ effecturus aliquando erat,alienum prorſus à præſenti eius conditione & qualitate. Porrò quod hîc promittit Iesvs, præſtitit quod ad nomen, tunc quando Petrum creauit Apoſtolum (tunc enim, vt *impoſuit Simoni nomen Petrus*, quod teſtatur Marcus,[l] ita deinceps à condiſcipulis vocatus eſt Petrus) quod ad rem, præſtitit tunc,quando ſuper eum ædificauit,& etiamnum ædificat,eccleſiam ſuam; quod cæpit præcipuè à miſſo Spiritu ſancto. Hanc enim nominis à ſe impoſiti rationem dat ipſe Iesvs, vbi dicit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam*,[m] nimirum, quia ipſe erat petra, ſuper quam Iesvs, ædificaturus eſſet eccleſiam ſuam. Quod rectè obſeruauit Cyrillus, hunc Ioannis locum tractans, dum ait: *Vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tamquam in petra lapideq́; firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus eccleſiam.* Ergò cùm vix primos lapides ædificandæ à ſe eccleſiæ colligeret Iesvs, iam tum de primario lapide, in fundamento collocando, cogitabat ſimul & ordinabat.

[l] *cap. 3. v. 16.*

[m] *Matth. 16. v. 18.*

Petro non eſt nomen mutatum, ſed amplificatum

Non eſt autem intelligendum, quòd prædixerit hîc Iesvs, mutandum Simoni vnum nomen in aliud, & abolito veteri ſubſtituendum nouum quemadmodum Deus nomen *Abram* mutauerat in Abraham,[n] non eſt ei mutatum nomen, ſed amplificatum, vltra vetus *Simon*, datum eſt nouum *Petrus*. Quare paſſim in euangelijs & actis Apoſtolorum, nunc *Simon*, nunc *Petrus*, nunc coniunctè *Simon Petrus* vocatur: & Lucas[o] *Simonem*, inquit, *quem cognominauit Petrum*. Manſit ergò *Simon* nomen, cui additum eſt cognomen *Petrus*, quamquam

[n] *Gen. 17. v. 5.*

[o] *cap. 6. v. 14.*

Digitized by Google

quam & *Petrus* pro nomine obtinuerit. Sic & ſeipſe vocat *Simon Petrus*. *f* Ne enim nouâ dignitate elatus, oblitus videretur veteris originis, vtrumque retinuit, & alterum alteri iunxit, obedientiâ ſimul & conſtantiâ laudabilis: Iam relinquit Euangeliſta Ioannes hîc intelligendum, quòd Simon hanc Iesv ſalutationem ac promiſſionem, cum occulta reuelatione coniunctam, quamuis nondum intelligeret, exceperit reuerenter (*nihil enim ad Christi verba reſpondit*, quod notat Chryſoſtomus, *ſed primò didicit*) quodque permiſerit deinde ſe à Iesv eo die amplè doceri, quemadmodùm nocte ſuperiori docti fuerant Andreas eiuſq; ſocius, deniq; quòd Petro, non minùs quàm illis, ita demùm ſatisfactum fuerit abs Iesv, vt firmiter crediderit Iesvm eſſe Meſſiam, eiq; adhærere ſtatuerit vt Ioanne maiori. *f 2. Epiſt. 1. v. 1.*

CAP. II.

Simon Petrus, cum IESVM ad mare docentem turbam, in nauim recepiſſet, edito miraculo captorum piſcium, eius potentiam agnoſcit.

VOluit Saluator, de ſuo ab hominibus receſſu aliquando futuro maturè cogitans, ab ipſo prædicationis ſuæ principio, chorum aliquem familiarium diſcipulorum ſibi adſciſcere, quos haberet teſtes omnium quæ faceret ac diceret, & per quos, alios deinde aptè doceret, vt qui dicere fidenter poſſent: *Non poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* *a* Non ocioſè itaq; ambulauit, qui inter ambulandum ipſos è mari piſcatus eſt piſcatores, *iuxta mare Galilææ*, *b* id eſt, in littore lacus ſiue ſtagni Geneſareth (quomodo Lucas *c* vocat) complura

a Act. 4. v. 20.
b Matth. 4. v. 18
c Luc 5. v. 1.

Mare Galilææ quale? compluta enim ſortitur nomina) inter Capharnaum & Bethſaidam, veriſimile eſt, oppida lacui huic adiacentia, quorum hoc, vt diximus, patria erat Andreæ & Petri. [d] Qui lacus erat propriè, & quidem aquæ dulcis atq; potabilis, Ioſepho teſte oculato, mare vocatur, eo modo quo Hebræis, magnæ aquarum, non tantùm ſalſarum, collectiones, quæ magno ſpatio porriguntur in longum & in latum, & crebris vndarum motibus agitantur, maria dicuntur. Galilææ autem mare vocatur, à regione iuxta quam ſitum eſt, cuius eſt terminus Orientalis, ſeparans eam à regione Geraſenorum & Galaaditide. Habet lacus iſte longitudinem centum ſtadiorum; latitudinem quadraginta, vndiq; in litora & arenas deſinens, mediusq; fluuio Iordani ſecatur, ex Ioſepho [e] qui deſcribit hunc lacum. Porrò octo ſtadia conficiunt miliare vnum Italicum; tria autem miliaria Italica, iter ſunt vnius horæ & ſi quid ampliùs. Iuxta hoc mare ſeu ſtagnum, IESVS plerumq; verſabatur, docebat, miracula edebat, quamdiu in Galilæâ agebat, vt poſſet cùm vellet iudicaretq; conſultum relinquere turbam & ſecedere aut certè aliò abire.

d Ioan. 1. v. 44.

e lib. 3. de bello Iudaic. c. 18.

Cùm itaq; & nunc turba immineret ei [f] præ ſtudio & auiditate audiendi verbi Dei, quod non temerè credebat ab ipſo prædicari, vidit duas naues piſcatorias ſuper crepidinem maris: piſcatores autẽ deſcenderant ex eis & abluebant retia à limo & cæteris ſordibus quas nocturno vſu contraxerant, vt mundata complicarent ac reponerent in aliud tempus, nulla iam cùm eſſet prædæ capiendæ ſpes. IESVS igitur cùm vnam iſtarum nauium quæ erat Simonis Petri conſcendiſſet, ne à turbâ opprimeretur, aut etiam in lacum proturbaretur, vel certè quietus eſſe non ſineretur, non quidem vi coëgit aut iuſſit imperiosè, verùm placidè rogauit eum à littore in aquas prouehere, abducere paululum, vt commodius audiri poſſet

f Luc. 5. v. 1.

IESVS à Petro in nauim accipitur.

poſſet concio à turbâ. Non minùs Andreæ nauis erat, veriſimile eſt, quam Simonis: ſed Simoni adſcribitur, partim quòd actione exercitatior magisq́; induſtrius cùm eſſet quàm Andreas, potiùs haberetur vulgò dominus ac gubernator nauis, quàm ſenior frater Andreas, & partim ob myſterium, eò quòd ipſe præficiendus eſſet eccleſiæ Chriſti hac naui adumbratæ.

Hoc poſtquam Simon libenter feciſſet, ſedit IESVS & docuit ex naui turbas in littore ſtantes. Quid verò loquutus fuerit aut docuerit turbam, non explicat Euangeliſta: ſed prima Chriſti concio: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum g* diligentiſſime obſeruanda eſt. Hæc enim eſt compendium & ſumma omnium Chriſti concionum. Quare cum de doctrinâ Chriſti fit mentio, ad hanc concionem tamquam ad ſtatum totius doctrinæ Chriſti reſpiciendum eſt. Vt verò dicendi finem fecit, dixit ad Simonem: Proueheb nauim in profundum maris, longiùs à terrâ, illic enim, non ad littus, manere conſueuit piſcium turba (in hoc autem lacu varia ſunt, quod Ioſephus teſtatur, piſcium genera, ab alterius loci piſcibus tàm ſapore quàm ſpecie diſcreta) & expanſa retia veſtra eijcite ad capiendum piſces. Docet turbas. g Matth. 4. & 17. Summa Chriſti concionum.

Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor (ſic enim IESVM nominat Petrus, quòd ſciret eum ſolitum fungi doctoris officio) *per totam noctem* quæ ad capturam opportunior eſt quàm dies, fatigati, quum laborauerimus in piſcando, *nihil cepimus*: Attamen, tempeſtas licet piſcationi & induſtriæ noſtræ omnino aduerſetur; & neque arte neque hora adiuuemur, tuo tantùm iuſſu fretus, quem ſcio plurimùm poſſe, nec fruſtrà reuereor, eijciam expanſum rete, naui in profundius mare abductâ.

Inſignis Simonis cùm fides, tùm obedientia nomini re-

Digitized by Google

reſpondens: quâ quantum Chriſto deferat oſtendit, cùm inani labore fatigatus, quod fruſtrà tentauerat, de integro aggreditur.

Benedictio laboris à Domino.

Simulatque hoc feciſſent quod IESVS iuſſerat, *concluſerunt piſcium multitudinem copioſam*, id eſt, magnam, ſupra modum naturali ordine poſſibilem, ita vt diſrumperetur rete, nec tamen elaberentur piſces, quod alterum fuiſſe miraculum annotant quidam. Piſces, qui ab hoc loco longè aberant (nulli enim hîc retibus per totam noctem fuerant comprehenſi) imperio IESV ſubitò adnatarunt & in rete coacti ſunt, tantâ copiâ, quanta retis ſpacium ſuperaret, & impar ponderi rete rumperet, vltra omne exemplum piſcatoribus anteà ſpectatum. Teſtimonium manifeſtum obedientiæ quam rerum natura IESV exhibebet.

Et annuerunt ſocijs collegis piſcatoribus, *qui erant in aliâ naui* (nam nautæ nauis vnius libenter ſocios habent nautas alterius, vt, ſimul enauigantes, in periculis ſibi mutuò ſuccurrant) *ut venirent & adiuuarent eos*, opitularentur ipſis, manus eum ipſis reti extrahendo admouerent. Non autem aduocarunt voce (quia vocem interceperat ſtupor & timor) ſed ſignis indicarunt.

Petri reuerentia erga IESVM.

Quod cùm videret Simon Petrus, intelligens præceptum IESV admirando modo eſſe operatum, remq; non agi caſu aut humanis viribus, ſed virtute diuinâ, quod nulli perſpectius eſſe potuit quàm ipſi piſcatori exercitatiſſimo. Quare IESV excellentiam, hinc perſpectam, quòd natura ipſa inanimatorum & animantium ipſum veneretur atque obſeruet, cum ſuâ vilitate componens, *procidit ad genua* IESV, (geſtus fidei & animi grati) *dicens exi à me*, diſcede à me, quod tu facilè potes: nam ego mari impeditus non poſſum diſcedere à te, *quia homo peccator ſum*, peccatis multis obnoxius, tu

verò

Digitized by Google

verò vir ſanctus Deoq; acceptus, qualis non facilè alius, *Domine.* Suprà vocauerat præceptorem, iam maiore de ipſo opinione conceptâ vocat Dominum.

Confitetur ſe eſſe peccatorem, &, ex argumento ab oppoſitis, IESVM eſſe ſanctiſſimum, q. d. Iam primùm meam agnoſco vilitatem, cùm tua ſe mihi manifeſtat celſitudo. Indignus proinde cùm ſim conſortio tuo teq; hoſpite (quemadmodum enim ille *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*; ſic Petrus: Domine non ſum dignus vt maneas in naui meâ) diſcede obſecro à me, ne, ob tuam præſentiam pronior ad vlciſcendá peccata mea, perire me iubeat Deus. Petrus ſic reueretur IESVM in miraculo, vt maieſtate eius exterritus fugere optet.

Quamuis enim Dei præſentiam aſſiduis votis expetant homines, quòd eo abſente miſeros ſe eſſe ſentire cogantur: neceſſe eſt tamen, ſimulatq; apparet Deus, eos formidine percelli, immo exanimari metu & pauore, donec ſolatium adhibeat: quia tunc ſentire incipiunt quàm nihil ſint, quàm viles & peccatis à DEO alieni, ac metuere proinde, ne ipſius ſanctitas præſens conſumat prauitatem ipſorum.

Sic Petrus, quamuis nondum apertè crederet Deum eſſe IESVM, Dei tamen præſentiam, & eam quæ IESV cum Deo intercederet propinquitatem ex re geſtâ conſiderans, contremiſcit, pauidusq; abeſſe deſiderat, veritus ne Deus, IESV causâ præſens, IESVM cum ipſo conferens, & ſeſe in ſanctitatis IESV contemplatione oblectans, ipſius è diuerſo, abominetur peccatis fœdatam vitam, ſubitoq; diſperdat. Ad hunc modum mulier Sareptana verita ne mortuus eſſet filius ſuus, eò quòd ipſa hoſpitio excepiſſet Eliam, id eſt, peccatrix virum ſanctum, clamabat: *h Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ & interficeres* h 3 Reg. 17. ℣. 18.

 filium

filium meum? Exiſtimant enim peccatores homines, viros ſanctos ſibi damnoſos aut incommodos eſſe, eo quòd non poſſit vitium cum virtute vnà commorari. Namq; virtus ſuo ſplendore vitium perſtringit, calore urit, maximè ſi ſit diuina virtus, vt Dei ipſius, aut angeli à Deo miſſi: & ex collatione illius cum ſuâ vitioſitate metuunt ſibi periculum.

Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in capturâ piſcium quam ceperat; ſimiliter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedai, qui erant ſocij Simonis. Cunctorum qui aderant animos occupauerat incredibilis quædam huius facti admiratio, vt ſenſus hic ingenitus eſt omnibus, vt ad Dei præſentiam expaueſcant.

Fuit autem metus religioſus is quo correptus fuit Petrus, pertinens ad pietatem: non abſimilis eorum, qui cæcutienti & obtusâ oculorum acie cùm ſint, ſolem perfectiſſimè lucidum & ſplendentem formidant, agnoſcentes ſeſe impares tantæ virtuti ſpectandæ. Ortus verò erat ille ſtupor ex conſideratione illius capturæ, aut potiùs potentiæ quâ tam admirabilis piſcium captura procurata erat, q; d. Euangeliſta. Non ita loquutus eſt Petrus, quòd IESV præſentiam faſtidiret, aut à IESV vellet ſeparari, quem diligebat vnicè, ſed quòd contemplatio excellentiæ IESV, illâ piſcium captura teſtatæ, perterrefaceret eum, & pauidum ſtupidumq; redderet.

Magna itaq; Petri modeſtia atq; humilitas, ſolam ſuam vilitatem conſiderantis, neque quidquam ex felici piſcationis ſucceſſu laudis ſibi arrogantis, tametſi & nauis & rete & opera fuiſſet ipſius, ſed prouentum omnem adſcribentis ei qui iuſſerat.

Et ait ad Simonem IESVS: *Noli timere*, pone inanem hunc metum, ſ. ne quid mali tibi eueniat ex præſentia mea. Non

enim

enim vt te à me abſterrerem, exſerui virtutem meam, ſed contrà vt te ad me ſequendum inuitarem, & quid poſteà per te vbi mihi adhæſeris præſtandum ſit ſignificarem. Nam, *ex hoc iam eris homines capiens*, q. d. Non eſt quòd attonitum adeò te reddat copia iſta piſcium à te meo iuſſui obſequente præter omne naturæ exemplum captorum; leue eſt piſces cepiſſe, poſthac aliud, & quidem longè ſublimius, erit opus tuum: non prorſus tamen aliud; homines enim deinde capies qui piſces hactenus cepiſti; & quidem, me duce, eâ copiâ homines capies, quâ iam cepiſti piſces, ſed hoc erit diſcrimen, vt ad vitam homines capias, qui piſces ad mortem capere ſolitus fueras.

Cæterùm non dicit Saluator *Ex hoc iam homines eris capiens*, quod mox vt cum ipſo abijſſet id facturus eſſet Petrus, ſed qui mox ab ipſo formandus eſſet, vt idoneus redditus id præſtaret: id quod certè præſtitit triennio pòſt, quando vno primoq; iactu euangelici retis, die Pentecoſtes, piſcatus eſt hominum tria millia, & quotidie deinde plures, videlicet agens piſcatorem hominum. *Act. 2. v. 41.*

CAP. III.

Simon Petrus à familiari arte piſcandi piſces, ad perpetuam ſequelam, artemq; piſcandi homines à IESV vocatur.

POſtquam igitur Petro dixiſſet IESVS *Ex hoc iam eris homines capiens*, reduxerunt, Petrus cum ſuis, & filij Zebedæi cum ſuis, ſinguli nauiculam ſuam ad littus, inſtationem conſuetam, vbi ſoliti fuerant eam collocare. Cùm igitur IESVS vectus naui Petri & Andreæ rodijſſet cum ipſis ad littus, dixit ipſis *Petrus à IESV vocatur ad ſequelam.*

Digitized by Google

a Matth. 4. ℣. 19. Marc. 1. ℣ 17.
b Ioan. 1. ℣ 37. 39. 40. 42.
c Ioan. 2. ℣. 2. 11 23.
d Ioan. 3. ℣. 22. 4. ℣. 2.
e Ioan 4. ℣. 8. 46.
f Act 1. ℣. 21. 22.

ipſis duobus: [a] *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Iam dudum iſti Ioanne prædicante in IESVM crediderant, eumq; ſequuti fuerant, [b] & adfuerant frequenter docenti IESV, fortaſſis etiam miracula edenti tum in Cana Galilææ tum in Iudæa, [c] & in Iudæa baptizanti, [d] indeq; in Galilæam reuertenti, [e] nam alibi [f] teſtatur non obſcurè Petrus, ſe cæterosq; Apoſtolos, cum IESV fuiſſe conuerſatos, à baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt. Sed hondum ſe prorſus IESV addixerant Petrus & Andreas, nec ita indiuulsè adhærebant, quin redirent intereà ad piſcationem, tamquam ad artem eam quam profitebantur, & ad negotium vitæ ſuæ non tantum conſuetum verum etiam præcipuum, quo victus atq; amictus ipſis eſſet comparandus, & vita hæc ſuſtinenda.

Ab hoc igitur vitæ genere atq; inſtituto ipſos auocans IESVS, inuitat ad indiuiduam ſequelam ſui: vultq; vt relicto piſciculos capiendi artificio, totos ſe dedant in diſciplinam ipſius, qua doceantur longè aliam ac ſublimiorem piſcandi rationem: hoc eſt quod dicit: *Venite poſt me* relicto hoc vitæ genere arteq; quam à patre didiciſtis, tam corpore quàm animo ſequimini me & inſtitutum vitæ meum, adhærete & addicite vos ipſos mihi, docturo vos artem aliam, & alij vitæ generi, inſtituto atq; officio vos applicaturo; non omnino tamen alij, ſed in melius commutato. nam ex piſcatoribus piſcium formabo hominum piſcatores.

Non ergò deſcribitur hîc vocatio iſtorum ad fidem, quam diu fuerant amplexi, ſed ad certum munus: nec vocantur vt ſint diſcipuli IESV, quod erant, ſed vt ſint ſuo tempore Apoſtoli; in ſpem Apoſtolatus. Nondum quidem ipſis iniungitur Apoſtolicum munus: ſed adſciſcit eos IESVS in ſuũ contubernium, & in familiam cooptat, vt formet idoneos.

Quoſ-

Quoſdam contentus eſt IESVS habere in grege & Eccleſiâ ſuâ, vt Regulum cum ſuâ familiâ, [g] pluresq; alios, nec vrget vt, relictis parentibus & priſtino vitæ genere, quouis ipſum pedibus ſequantur: à quibusdam verò, quos ad maiora vocat, id exigit. [g] Ioan. 4. v. 53.

Sic igitur IESVS, in communi aliorum vitâ nihil mutans, diſcipulos iſtos ab opificio quo hactenus vixerant, abducit, vt formare eos velit, quò eorum opera ad præſtantiorem functionem vti poſſit. Rudes enim elegit, ſed rudes non reliquit: nam idcirco ab initio ſtatim illos ſibi adiunxit, vt per tempus fingeret formaretq; ad munus hocce eximiũ. Rudes & incõpoſitas gemas non contẽnit artifex, quas nouit polire.

Plerumque autem Saluator à rebus corporalibus, quas tempus & locus exhibebant, ſermonem tranſtulit ad ſpiritales, à terrenis ad cæleſtia mentem homines attollere docens. Efficiam, inquit, vt fiatis hominum piſcatores longè feliciores, vt, qui nunc piſciculis inſidiamini in eorum perniciem, homines capiatis in æternam ſalutem. Hoc enim vt infinitis partibus ſublimius, ita magis neceſſarium eſt opus, hominum plerisque imerſis ignorantiæ tenebris ac ſordibus huius mundi curis: ad quos & ego veni extrahendos ad lucem veritatis & cæleſtium rerum amorem. eritis vero igitur mihi cooperatores in hoc piſcandi genere. Ad idem artis genus, ſed excellentius, inuitantur. Mutantur retia in doctrinam, lucri cupiditas in amorem ſalutis animarum: fit mare, terra: nauis, Eccleſia; piſces boni maliq;, homines, vagi palantesque in terra, vt in vaſto & confuſi mari piſces. De huiuſmodi piſcatoribus Ieremias: [h] *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos.* Commendatur autem diligens & indefeſſum ſtudium lucrandi quàm plurimos Deo, huiuſmodi à piſcatoribus ſumpta metaphora:

IESVS plerunq; metaphoricè loquutus.

[h] cap. 16. v. 16.

quam-

quamquam labor ſit piſcatorum, Dei verò in retia cogere quos voluerit.

Diſcipulorum obedientia.

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Agnouerunt quidem vocem eius, cui Ioanne prædicante crediderant, cuiuſque doctrinam cæleſtem non ſemel audierant, & miracula non pauca viderant, nominatim præſens miraculum captorum piſcium à D. Luca narratum: ſed addita voci energiâ, afflatus nimirum Saluatoris, Spiritu ſancto, quo plenus erat, intus eos compellantis (habebat enim vox IESV cæleſte incantamentum) effecit vt protinus ad vocem vocantis, omnium obliuiſcerentur, nihil diffiſi promiſſione tam arduæ, nihil ſoliciti qua deinde ratione alerentur, ſed mox ſe totos vocantis prouidentiæ, poteſtatiq; committentes. Optimum certè exemplum ijs qui à Deo vocantur, nihil diſputare aut hæſitare, nihil contari, nihil vllâ de re eſſe ſolicitum, ſed obſequi ſimpliciſſimè vocanti Deo, eique ſe totum committere.

i Cap. 5. v. 3. Secuti IESVM omnibus relictis.

Secuti autem IESVM dicuntur *relictis retibus:* vbi de naui quam Simonis fuiſſe teſtatur Lucas[i] nihil dicitur, vt nec de piſcibus: ſed ſub retibus cætera intelligenda veniunt muneris piſcatorij, adeoq; opificium ipſum ſeu ars piſcatoria, mercenarij quoq; ſocij, amici, domeſtici, & ſi quid aliud habebant pauperes piſcatores, quorum res omnis aut ferè omnis piſcationi ſeruiebat.

k Matth. 19. v. 27.

Petrus enim poſtea dixit ad IESVM:[k] *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Verùm quia Euangeliſta non niſi retium antè expreſſam fecerat mentionem, ſolaque retia ſic relinquebantur vt mox forent hominum præda, eorum qui illa eſſent inuenturi (nauis enim non ita mox aufertur, quin paulò pòſt definire potuerint cui vellent illam datam: piſces autem non tam ipſorum erant, quàm Chriſti cuius miraculo illos

Digitized by Google

illos acceperant) idcirco non aliud quidem dicit quàm *relictis retibus*, ſed intelligit, quod diximus, relictis omnibus, & ſignanter illo vitæ genere cui res omnis ipſorum ſeruiebat, quam ne diſpoſuerunt quidem, vt nec ampliùs ad illud vitæ genus reuerſi ſunt: Quòd ſi aliquando poſtea piſcati legantur, non hoc fuit piſcatoriam exercentium, ſed otium fugientium, aut mæſtum animum relaxantium.[l] *l Ioan. 21 v 3.*

Igitur *ſequuti ſunt eum* illinc abeuntem, & ex eo tempore indiuulsè ei adhæſerunt, comites indiuidui & diſcipuli mancipati, ipſius more atq; ex ipſius præſcripto viuentes, ſub ipſo patrefamilias ſimul & præceptore. Tantum bonorum theſaurum in IESV deprehenderunt, vt maluerint omnia relinquere, quàm ipſum non ſequi; quemadmodum duo illi negotiatores, quorum vnus theſaurum in agro abſconditum, alter margaritam pretioſam repererat.[m] *m Matth 13. v 44. 46.*

Illis ſequentibus, cùm egreſſus nauigio IESVS perueniſſet per oram maris ad ſtationem Iacobi & Ioannis propè diſtantem, inueniſſetq; eos intentos operi reſarciendi retis, ſiue illius quod ruptum fuerat ſuperiori piſcatione (quamquam illud videatur fuiſſe Petri) ſiue cuiuſuis alterius, vocauit ipſos, vt priores, ad ſequelam ſui, ipſiq; cum prioribus Petro & Andreâ mox ſunt ipſum ſequuti. *Etiam Iacobus & Ioannes à IESV vocantur.*

Hac Apoſtolorum quadriga, ait veterum quidam, *vehimur ad æthera: his quatuor angulis conſtruitur prima Eccleſia.* Simon nos docet, IESV vocanti obedire; Andreas, viriliter agere; Iacobus, ſupplantare hoſtem; Ioannes, ad hæc præſtanda, aſſiduè Dei implorare gratiam. *Sacra Apoſtolorum quadriga.*

C CAP.

CAP. IV.

IESVS domum Petri ingreſſus, ſocrum eius febricitantem ſanat.

Capharnaum qualis vrbs.

POſt vocationem diſcipulorum IESVS iiſdem comitatus venit Capharnaum, vrbem maritimam, diſtantem à Nazareth itinere diei vnius aut alterius, orientem verſus, adiacentem nempè mari ſeu lacui Geneſareth. nam mari magno vicinior erat Nazareth quàm Capharnaum. Vrbis autem Capharnaum mænia lambunt, ab ortu quidem Iordanis, à meridie verò mare in quod influit aut potiùs quod efficit Iordanis. Florentiſſima Galilææ ciuitas, & præclariſſimi nominis emporium, Chriſti tempore fuit: quam proinde habitationi ſuæ delegit, vt pluribus notior fieret ipſius legatio & prædicatio, tum Iſraëlitis, tum gentibus, eò negotiorum cauſâ confluentibus. nam præterquam quòd proxima eſſet mari Geneſareth erat per eam regionibus tranſamnanis tranſitus ad mare magnum.

Vbi ſita.

Erat ea ciuitas ſita in finibus Zabulon & Nephtalim: non quòd pertinuerit, partim ad tribum Zabulon, partim ad Nephtali (vt Ieruſalem, partim ad Beniamin, partim ad Iudam) ſed quòd prope eam cucurrerint termini ſortium, aquilonaris Zabulon & auſtralis Nephtali, ipſa ſita in alterâ ſortium Zabulon, vt quidam dicunt; vt alij probabiliùs, Nephtali. Sortis tribus Nephtali longitudo protendebatur à ſeptentrione in meridiem, videlicet, à monte Libano vſque ad mare Galilææ; latitudo verò à Iordane vſque ad ſortem tribus Aſer, id eſt, ab oriente in occidentem: complectebaturq; ea ſors vniuerſam ferè Galilæam ſuperiorem. Sortis autem tribus Zabulon longitudo extendebatur

Sors Nephtali.

Sors Zabulon.

debatur

debatur ab oriente in occidentem, nimirum à mari Galilææ vſque ad mare magnum; latitudo autem à tribu Nephtali & Aſer vſq; ad tribum Iſſachar, à ſeptentrione videlicet in meridiem, & complectebatur magnam partem Galilææ inferioris. Erat igitur Capharnaum ſita in finibus vtriusque Galilææ, quaſi media inter vtramque; ac proinde opportuniſſimè habitationi IESV, cui ex decreto Patris ſtatutum erat Euangelium in Galilæam inferre. Nam, præterquam quòd commodus hinc erat excurſus in vtramque Galilæam; quidquid in eâ gerebatur, facilè etiam per vtramq; ſpargebatur, tam ob ſitum, quàm ob celebritatem & frequentiam loci. Superior autem Galilæa in ſeptentrionem recedit, Cæſaream Philippi & Libanum montem verſus, à meridie habens inferiorem, ab ortu Iordanem, ab occaſu maritimas vrbes, Sidonem, Tyrum, & Ptolemaida: inferior à ſeptentrione habet ſuperiorem, à meridie Samariam, ab ortu mare Tyberiadis, ab occaſu mare magnum. a

Galilæa duplex, & eius termini

Quemadmodum igitur IESVS Bethlehem cunis ſuis nobilitauit, Ægyptum fugâ ſuâ felicem reddidit, Nazareth educatione ſui celebrem fecit: ita Capharnaum commoratione atque editis inibi frequentibus miraculis velut adoptauit in patriam. Siquidem ex quo cæpit obire Euangelij promulgandi negotium, domicilium huc tranſtulit, b non quòd ſedes continuas illic fixerit, ſed quòd domo illic ſibi delectâ, cōmodatò nimirum acceptâ aut potiùs conductâ, frequentius egerit & diuerſatus ſit ibi quàm alibi, vagis alioqui per Galilæam itineribus addictus. Ibi ergò commoratus IESVS, venit quodam tempore in *domum Petri*, c ſeu potiùs ſocrus Petri; idcircò Petri dictam, quòd quoties Capharnaum veniret Petrus, ibi, vt par erat hoſpitaretur, cuius patria Bethſaida propè à Capharnao diſtabat, ſeſquihoræ itinere.

a Lege Ioſephū, lib. 3. de bello c. 2

Capharnaum vrbs IESV dicta.

b Matth. 4. v. 13.

c Matth. 8. v. 14. Mar. 1. v. 29. 30. Luc. 4. v. 38.

Ibi ſocrus Simonis grauiter laborabat febribus, ita vt decumberet, corpore viribus prorſus deſtituto, & periculoſè, quia vetula erat. *Et rogauerunt illum pro eâ* ſ. diſcipuli aut affines. IESVS autem adſtans illi atque imminens, *apprehenſa manu eius eleuauit eam.* d Apud Lucam e clariùs exprimitur geſtus atque habitus Chriſti, ad lecti fulcrum inclinantis ſe, vt increparet febrem & febricitantem alleuaret. Primùm enim imminuit inſtititque mulieri, & iuſſit febrim diſcedere: iubens verò apprehendit manum illius & eleuauit eam: atque ita eleuata illa continuò ſurrexit: adeò ſana & confirmata, vt miniſtrare valeret ſtatim illis cibum. IESVS enim contactu viuificæ carnis ſuæ mox febris ardores extinxit; neque id tantùm, ſed & priſtinas ei corporis vires illico reſtituit, vbi, eis qui natura duce aut arte febribus liberantur, multo opus eſt à morbo tempore ad robur recuperandum. Hæc autem ita reſtituta erat, vt parare & miniſtrare IESV & diſcipulis eius valeret prandium.

Socrus Petri ſanatur. aa

d Marc. 1. v. 31.
e Luc. 4. v. 39.

Petrus igitur ſocrum habebat, & vxorem, vt ex hoc loco colligitur. Simon Metaphraſtes in vita Petri, filiam fuiſſe ſcribit Ariſtobuli fratris Barnabæ Apoſtoli. Fuiſſe martyrem Clemens Alexandrinus indicat f quod refertur ab Euſebio: g *Aiunt,* inquit Clemens, *beatum Petrum, cùm vidiſſet uxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe propter vocationem, & quòd domum reuerteretur. Valde autem exhortando, & conſolando proprio nomine eam compellantem dixiſſe; Heus tu memento Domini. Tale erat beatorum matrimonium.* Tradiderunt etiam non pauci Petronillam virginem ſanctiſſimam, quæ prid. Cal. Iunij eccleſiaſtico officio celebris habetur, Petri filiam naturalem fuiſſe.

Eadem quæ fuerit.

f lib. 7. Stromat.
g lib. 3. hiſt Eccleſ. c 30.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

Petrus ad Apoſtolatum cum ceteris vocatus, ubique primus recenſetur; & quare?

F*Actum eſt autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*[a] Non quotidiano more rogauit Patrem IESVS, ſed totam noctem in precibus conſumpſit, declarans quàm eſſet de eccleſia ſua ſolicitus. Nam quia poſtera die ſelecturus erat ſibi collegas adminiſtrandi Euangelij, futuros Eccleſiæ doctores & paſtores, & concione expoſiturus Euangelicæ perfectionis & prædicationis, doctrinæ ſuæ ſummam, idcircò tam ſeriò à Patre poſtulauit, vt electioni concioniq; ſuæ preeſſet. Cæterùm, non tam ſua cauſa precatus eſt, quàm vt legem nobis præſcriberet, vt à precatione ordiamur, maximè quoties eligendi ſunt Eccleſijs paſtores. Prudentia enim deſtituimur & conſilio: atque vt maximè ſimus perſpicaces, nihil tamen facilius quàm in hac parte aut decipi aut affectuum violentia abripi. Adhæc, vt ſumma in electione viguerit dexteritas, infeliciter tamen cedent omnia, niſi Dominus regendos ſuſcipiat qui fuerint electi, ac dotibus neceſſarijs inſtruat.

a *Luc. 6. v. 12.*

Iesvs cur orauerit.

Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis; quos & Apoſtolos nominauit.[b] Plures erant Domino diſcipuli, ſed, ex turba diſcipulorum, elegit duodecim, qui ipſius vbi fuiſſent indiuidui comites, continuiq; ipſius doctrinæ auditores, & ſpectatores operum, idonei aliquandò forent, qui orbi Chriſtum annunciarent, ipſiq; prædicandi Euangelij partes obirent. Duodenario autem numero, Eccleſiæ inſtaurationem notare voluit, quòd, ſicut carnali generatione ex duodecim Iſraëlis filijs populus Iudæorum, innumerabilis ille, in duodecim tribus diſtinctus, prognatus eſt:

b *Ibid. v. 13. & Marc. 3. v. 14.*

Cur duodecim Apoſtolos elegerit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

c 1. Cor. 4. v. 15. Gal. 4. v. 19.

ita ſpiritali natiuitate (qualem Paulus deſcribit[c]) ex duodecim Apoſtolis tamquam alteris Patriarchis progrederetur multitudo credentium iuxta multitudinem arenæ quæ eſt in littore maris; ita vt iſti honoris gradu & fœcunditate ſobolis non modò Patriarchis non cederent, ſed etiam longè præcellerent. Duodecim enim tribus Iſrael, typus quidam fuêre Eccleſiæ Dei, ex omnibus populis colligendæ. quæ ratio ab ipſo videtur Saluatore indicata.[d] Sunt qui morem dicant fuiſſe Iudæis, ad res grauiores firmandas, duodecim teſtes adhibere, eoq́; reſpexiſſe Saluatorem.

d Matth. 19. v. 28.

Elegit autem duodecim ad Apoſtolatum: nam ad Euangelij gratiam, hoc eſt, ad ſingulorum ſalutem, omnes diſcipuli electi erant. Duodecim itaq; diſcipuli hîc ſegregantur, ad Apoſtolatus, quem geſturi ſuo tempore eſſent, tyrocinium.

Apoſtolus quale nomen?

Porrò *Apoſtolus* vocabulum eſt græcum, Eccleſiæ ac ſcholæ Chriſti, vt alia multa, familiare, quòd latinè dicas legatum, nuntiũ qui ore negotium agit, deductũ ab ἀποστέλλειν, quod eſt amandare, emittere cum mandatis: quâ voce etiam ferè vtuntur Euangeliſtę, vbi de Apoſtolorum miſſione loquuntur. Atq; hunc in modum Apoſtoli nomen interpretatur Saluator ipſe qui indidit,[e] vbi ait: *Neq; Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum*: apparetq́; libenter vocabulo iſto Dominum & Euangeliſtas vſos fuiſſe, quòd frequentiſſima ſit mentio miſſionis & miſſorum apud prophetas. Ornauit itaque ipſos elogio iſto, quod tamen officij eſt magis quam dignitatis, vt ſcirent quorſum è vulgari numero ſepoſiti, & in quem vſum deſtinati forent, nimirum, vt emitterentur aliquando, legatorum in morem, ad annunciandum hominibus ea quæ Dominus mandaſſet, quò in eum finem ſerìò

e Ioan. 13. v. 16.

nō ſe pararent. Apoſtoli ergò, miſſi & Legati ſunt Domini, ipſius mandata referentes ijs ad quos miſſi ſunt. Quare Paulus, *Pro Chriſto*, ait, *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo f.* *f Cor. 5. ℣. 20.*

Cùm verò duodecim illorum Apoſtolorum Chriſti nomina recenſenda eſſent, quòd neminem fidelium ignorare deceat nomina primorum Chriſtianæ fidei propagatorum, maximorumq; religionis antiſtitum, quodq; multum afferat vtilitatis, ex nomine cognitos habere, quorum miniſterio Deus ad noſtrum profectum dignatus eſt vti, vt tanto nobis viuidiùs verſentur ob oculos ad perſuadendam ſui incitationem, perſeuerantiamq; in eâ quam reliquerunt doctrinâ; primus omnium recenſetur Petrus. Et *primus* vocatur, non quia maximus natu inter Apoſtolos fuerit, quum Andreas frater fuerit eo maior natu, *g* nec quia primus in Chriſtum crediderit, quum rurſus Andreas eo crediderit prior, *h* nec quia primus ad Apoſtolatum vocatus ſit, quum Andreas fuerit vnà cum ipſo vocatus, *i* nec quia præ cæteris à IESV dilectus fuerit, fuiſſet enim præponendus Ioannes: denique nec ordine enumerationis duntaxat quem Matthæus ſeruare decreuerat primus ab eo dicitur, quum cæteri Euangeliſtæ ſimiliter eum primum numerent, quemadmodùm Iudam vltimum, ordinis cæterorum inter ſe non perinde habitâ ratione.

Petrus cur primus nominetur.

g Breu. Rom. in feſto S. Andr. Epiphan. hær. 51.
h Ioan. 1. ℣. 40. 41.
i Matth. 4. ℣. 18.

Reſtat igitur vt idcirco quòd à Saluatore primatus quidam ipſi inter Apoſtolos datus ſit, & dignitate atque auctoritate excelluerit inter ipſos. Quem ſenſum ſtabiliunt *k* alia complura Scripturæ loca, probantque veteres, nominatim Chryſoſtomus, qui in hunc locum, *Apoſtolorum*, ait, *omnium primus & quaſi vertex, indoctus ille erat ac rudis*; & Auctor

k Matth. 16. ℣. 18. 19. Luc. 22. ℣. 23. Ioan. 21. ℣. 17. Act. 1. ℣. 15.

Digitized by Google

& Auctor commentariorum in epiſtolas Pauli apud Ambroſium. l *Prior ſequutus eſt Andreas Seruatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas ſed Petrus.* Poſtremò Hieronymus: m *Propterea,* inquit, *inter duodecim Apoſtolos unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.*

l in 2 ad Cor. c. 12.

m lib 1. in Iouin: c. 14.

Et impoſuit Simoni nomen Petrus, n nempè quando deſignauit eum Apoſtolum: quando autem eum ſuſcepit in diſcipulum, o videtur prædixiſſe nominis huius à ſe impoſitionem; ſed tùm confirmaſſe, p poſtquàm diuinâ inſpiratione teſtatus fuerat IESVM eſſe Chriſtum Filium Dei viui.

n Marc 3. & 16.

o Ioan. 1. & 42.

p Matth 16. & 18.

CAP. VI.

Petri prima de IESV confeſſio, quòd ſit Chriſtus Filius Dei.

Cùm non multò pòſt, IESVS habuiſſet concionem de ſe pane cæleſti, cuius caro manducanda & ſanguis bibendus foret cum fructu vitæ æternæ; nihil obſtante interpretatione admonitioneque quam ſubiecerat, *multi diſcipulorum eius*, non Apoſtolorum (nam & Iudas remanſit otij ucriq; ex furto causâ) nec LXXII. diſcipulorum, qui electi demum fuerunt Galilæâ ab IESV relictâ; ſed aliorum, qui iam pluribus menſibus IESVM aſſiduè ſecuti, habebantur in numero diſcipulorum eius, quamuis non eſſent peculiari electione diſcipuli. Theophylactus: *Qui ſequebantur in ordine diſcipulorum, & manebant apud eum longiore tempore quàm turba, itaq; ad reliquam turbam collati, dicebantur eius diſcipuli.* Hi ſubduxerunt ſe ab eius contubernio, diſceſſerunt abs IESV, ipſo ſuo diſceſſu damnantes doctrinam quam nunc audierunt ab eo: & velut ſpe ac opinione ſuâ falſi, penitus ab eo deſciuerunt.

Diſcipuli qui & cur in IESV ſermone ſcandalum paſſi.

Cùm

Digitized by Google

Cùm enim panem ab illo, ad ſaturitatem vſq; ſine vllo ſuo labore, ſemper accipere ſe poſſe ſperarent, [a] audirent autem illum, loco panis, carnem ſuam manducandam polliceri, multaque de illâ inaudita, & vt cenſebant, abſurda philoſophari, vel delirare eum putauerunt, vel beluina neſcio quæ & inhumana moliri; certè indignum eſſe, quem ducem magiſtrumq; ſequerentur.

a Ioan. 6 v. 26. 27 34.

IESVS ergò cùm à plerisq; diſcipulis desereretur, ſummâ cum modeſtiâ conuertit ſe ad duodecim Apoſtolos, qui non tantùm diſcipuli eius erant, verumetiam domeſtici ac familiares, & Apoſtoli deſignati, & percontatus eſt eos; *Numquid & vos* offenſi doctrinâ meâ *vultis abire* à me, & alios quærere doctores? q. d. per me licet id faciatis, niſi veſtrâ intelligatis referre vt remaneatis.

Reſpondit ergò ei Simon Petrus ordine maior, quod ait Cyrillus: *Decet enim non omnes confusè, nec proſilientes imprudenter, quaſi raptâ uti oratione, ſed cedere ijs qui & conſilio & ordine præpoſiti ſunt.*

Petrus omniũ nomine reſpondet.

Prouocatus autem interrogatione IESV Petrus maximo cum feruore reſpondet, omnium nomine, perſuaſus ſe exploratam habere collegarum omnium & ſententiam & mentem: *Ad quem* alium doctorem *ibimus*, ſi te relinquimus? quem alium præceptorem tui ſimilem inuenire poterimus te relicto? q. d. non poterimus tui ſimilem inuenire, nam *verba vitæ æternæ habes*; verba quæ doceant certam rationem aſſequendæ vitæ æternùm beatæ. *Verba quæ vitam concilient æternam*, exponit Euthymius. Cyrillus: *Non dura, ut illi dicunt, verba, ſed æternæ vitæ habes, quæ conducere credentes poſſunt ad vitam incorruptibilem.* Non eſt durus, aut aſper ſermo tuus, ſed viuificus, ſuauis, & blandus: quid enim ſuauius vitâ æternâ, quâ plenus eſt. Alludit Petrus ad præcedentia Chriſti

D verba,

verba, id annotantibus Chryſoſtomo & Theophylacto, & tacitè refellit murmur infidorum illorum diſcipulorum, hoc ſenſu: Tantum abeſt vt ſcandalizemur ob verba tua, quibus promittis vitam æternam manducantibus carnem tuam & bibentibus ſanguinem, quemadmodum illi faciunt, quibus dura videntur & intolerabilia; vt illa recipiamus tamquam diuina verba, certi illos aſſecuturos vitam æternam, qui his tuis verbis obtemperauerint, nec aliam eſſe illius aſſequendæ rationem.

Nullus eſt autem alius à quo ſperanda ſit vita æterna, non Scribæ, non Philoſophi, non alij quicunque doctores contrarij tibi. Quare abeant qui velint, ad quos velint, nobis tibi adhærere bonum eſt tu vnus ſufficis nobis. *Hinc diſcimus*, inquit Cyrillus, *unum ſolummodò Chriſtum ſequendum eſſe magiſtrum, illi ſoli inhærendum, qui ad vitam æternam deducere poteſt.* Potuiſſet Petrus ſimpliciter reſpondiſſe, Nolumus abire, ſed manendi duplicem cauſam explicare maluit, vnam quòd ſentiret doctrinam IESV ſalutarem eſſe ac viuificam, alteram quòd quocumque ſe conferat, nihil huiuſmodi credat inuenire ſe poſſe. *Vides igitur, quòd verba ipſa* IESV *offendicula non fuerint, ſed, attendendi negligentia & ignauia, imprudentiaq́ auditorum*, quod ſcribunt Theophylactus & Euthymius.

Quoniam verò rectæ intelligentiæ initium, eſt fidei obedientia, immò fides ipſa verè mentis oculus eſt, Petrus itaque poſtquam dixiſſet *& nos credidimus*, ſubiecit, *& cognouimus*, q. d. non ſolùm verbis tuis freti credidimus, verumetiam ex ipſis factis tuis cognitum habemus & compertum, *quia tu es Chriſtus* ille iam olim promiſſus & expectatus, *filius Dei* viui ac veri. *Illud diligenter conſidera*, inquit Cyrillus, *quòd ubique præcipuè cum præpoſitione articuli, Tu es ipſe Chriſtus dicunt*, *ipſe*

Petri confeſſio.

ipſe Dei viui filius ab alijs filijs Dei, qui vocati per gratiam, adoptati ſunt, verè ac naturaliter filium ſeparantes; cui nos coniuncti, per ſimilitudinem filij dicimur. Paucis verbis ſummam fidei Chriſtianæ Petrus complexus eſt, quemadmodum & alias. [b] *b Matth 16. v 16.*

Sed videtur hæc confeſſio nihil ad præſentis loci cauſam facere, vbi quæſtio de manducandâ Chriſti carne mota fuerat. Reſpondeo, mentem Petri eſſe, quòd cùm ipſe ceteriq; Apoſtoli credant & cognoſcant IESVM eſſe Chriſtum filium Dei, credant etiam & cognoſcant veracem eſſe, & nec errare nec fallere poſſe, ac proinde etiamſi verbà ipſius non perindè perfectè intelligant, recipere ſe tamen ea, vt vera, recta, atq; diuina; etiamſi non vſquequaque aſſecuti ſint quidquid docuerat Dominus, ſubijcere ſe tamen ei ſe per omnia, vt omniſcio aſſertori veritatis, & ſalutis auctori, qualem eſſe iam diu credant & experti quoque ſint, ita vt qualis ſit ipſe, talia quoque ſint verba ipſius. Simile exemplum exſtat in Marthâ; [c] eſtque conditio probi diſcipuli, venerari etiam non intellecta præceptoris verba, tantiſper dum intelligentia ſuccedat. *c Ioann. 11. 27.*

In Petro notandus eſt hîc, ardor ad confitendum fidem: charitas quoq; eius in eo apparet, quòd de omnibus alijs quod optimum eſſet ſibi polliceretur. Nam quod ſentiebat de Domino ipſe, ſentire & collegas ſuos omnes nihil addubitabat.

CAP. VII.

Petrus viſo IESV ſuper mare ambulante, eius permiſſu idem aggreditur.

IESVS edito miraculo quinque panum, quo virtutem ſuam ſummâ cum beneficentiâ coniunctam teſtatus fuerat,

Digitized by Google

compulit diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans
a Matth. 14. ꝟ 22 *fretum, donec dimitteret turbas*, [a] Cogere enim oportuit, quia
Marc 6. ꝟ. 45. ſe ab illo diuelli inuitè patiebantur; partim quidem propter
Ioan. 6. ꝟ 16. animi ſtudium, quo in illum ferebantur; partim quòd ſua ſecum naui ipſum vehere vellent ne pedes venire cogeretur, cùm etiam nox appeteret. *Et* Iesvs *dimiſſâ turbâ aſcendit in montem ſolus orare: veſpere autem facto*, cùm Sol occidiſſet, *cùm tenebræ factæ eſſent*; quod ait Ioannes *ſolus erat ibi.*

Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: *cùm* nempe
Stadiũ quid? *remigaſſent quaſi ſtadia viginti quinq; aut triginta.* Stadium nota eſt octauæ partis miliaris ſeu mille paſſuum; id eſt, cxxv. paſſuum. Triginta verò ſtadia, ſunt miliaria Italica quatuor, quadrantem ſi demas vnius. Tam parum itineris confecerant à veſpera vſque ad quartam noctis vigiliam. *Erat enim contrarius* ventus quem Iesvs ipſe ſuſcitarat, tum demùm cum diſcipuli in profundum maris deuecti eſſent, vt exerceret illorum fidem & in aduerſis conſtantiam, ſuiq; deſiderium excitaret. Ad euidentiorem quoq; miraculi, quod mox conſecutum eſt, demonſtrationem, nõ parum faciebat, quòd ventis contrarijs flantibus, fluctibusq; ſecundum ventorum flatus ſeſe erigentibus, ipſe nihilo ſeciùs, quàm à nullo impeditus, liberè per aquas incederet & ambularet.

Nox in quot vigilias diuiſa. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans ſuper mare.* Nox in quatuor olim partes diuiſa eſt, quæ *vigiliæ* à Latinis, *cuſtodiæ* à Græcis dictæ ſunt, quòd quater, ſingulis ternis noctis horis, mutarentur vigiles ſeu cuſtodes, ij inquam quorũ erat, iuxta militarem diſciplinam excubias agere, ad cuſtodiam, ſeu ciuitatis, ſeu exercitus. Quarta igitur vigilia, eſt poſtrema noctis pars, ea qua Lucifer oritur lucetque; poſtremę tres noctis horæ, deſinentes in diluculum, quæ *vigilia matu-*
b Exod 14. ꝟ 24. *tina*, dicitur. [b] Tota itaq; propemodum nocte, cum tenebris, fluctibus,

Digitized by Google

fluctibus,& procellis, periculoſè luctari: Chriſtus diſcipulos ſinit,demumq; ſub diei crepuſculum adeſt, quo magis attentis animis oblatam opem excipiant, diſcantq; non ſtatim petendam eſſe aduerſitatum ſolutionem, ſed ferendas fortiter,donec viſum ſit Domino opem ſuo tempore ferre.

IESVS igitur ex monte deſcendens ad diſcipulos iter fecit (veriſimile eſt, per aera momento temporis permeaſſe, donec propè adeſſet eis) *ambulans* placidè,abſq; vllius cymbæ adminiculo *ſuper mare*, perinde quaſi ſolidam terram calcaret,& illud quidem procelloſum, furens, ac ſæuiens. Dominum ſe maris monſtrat,quod,tantum abeſt vt perdere potuerit diſcipulos ipſius, vt etiam iter ipſi ad eos,quantumvis infeſtum,dare coactum ſit. Vt enim nutui ipſius ſubiacent omnia,per quem facta ſunt omnia, conſolidauit ipſe natura liquidas aquas, ne diffluerent cederentq; ponderi corporis ſui grauis, vel certè non permiſit corpus ſuum pro natura corporis grauis agere,id eſt, ad ima ferri, liquidaq; veſtigijs preſſa ſuo pondere ſecare ac penetrare. non quòd corpus ſuum leue reddiderit, ſed quòd grauitatis actionem impedierit. Porrò poſterius hoc veriſimilius hoc loco eſſe, ex eo docetur,quòd mare fluctuoſum iam fuerit ex valido vento, nec quieuerit,niſi IESV nauigium ingreſſo.

Iesvs quomodo ad diſcipulos peruenerit ſuper mare ambulans.

c Simile Exod. 14. v. 22.

Et videntes eum ſuper mare ambulantem, non quòd dignoſcerent IESVM eſſe. cùm id noctis tenebræ tempeſtaſq; & IESVS longiùs abſens minimè permitterent,ſed quòd viderent aliquem, qui erat ipſe IESVS, *turbati ſunt,dicentes: Quia phantaſma eſt.* Putabant illuſionem ſibi diabolicam apparere, non hominem quempiam: res enim erat inſolita atque inaudita,hominem aquis inambulare. Pòrrò ſpectra ſiue viſa hominibus aliquando obijci,non eſt vana opinio. Imaginatur quidem homo nonnunquam,corruptis cerebri humoribus,

Diſcipuli quare turbati.

Spectra aliquando nobis obiici.

bus, ea ſe videre quæ non videt nec vſpiam ſunt: interdum verò obijciuntur hominibus ſpectra quædam non citra iuſtum Dei iudicium, per miniſterium bonorum malorumúe ſpirituum, erudientia atque admonentia homines, imponentia etiam non rarò ac nocentia. Quod quia perſuaſum plerisque eſt, ſpectra nocere ijs quibus apparent, nec facile eſt homini corporato ſe defendere aduerſus ſpiritum, niſi fide; idcirco plerique, cum fidei imbecillitate laborent, ſpectris viſis, aut vel ſolâ imaginatione conceptis, ſibi metuunt animiſq; percelluntur. Sic igitur & diſcipulorum animos turbauit ſpectri opinio: quo etiam factũ eſt, vt minùs IESVM agnoſcerent: timor enim omnes ſenſus turbat ac ferè aufert, viſus hebeſcit, aures ſimiliter, mens deniq; ipſa penè vaneſcit.

Quare tantus timor Apoſtolos inuaſerit.

Porrò tantus terror illos inuaſit, vt velut impotentes ſui facti, exclamauerint. Adde enim, quòd vulgus nautarum putare dicatur, huiuſmodi viſa præſens exitium portendere nauigantibus. Eſt autem confuſus clamor & incerta vox, magni deſperatiq; timoris indicium: in quem, ob auxilij, quod afferri ab ijs queat qui clamorem audierint, ſpem, nulla licet affulgeat, erumpere ſolent iĵ quos nimius terror inuadit; tum etiam vt terrorem viciſſim rei apparenti, ſi poſſibile eſt, incutiant eamque confundant. Timorem itaque qui ab vndis erat, Apoſtolis, excepit alter timor à ſpectro, vt exercerentur ad ferendas tentationum accumulationes.

Iesvs illos ſolatur.

Statimq́; IESVS locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere. Non ſecus hîc cum diſcipulis ſuis IESVS egiſſe videtur, quàm ſolent matres cum paruulis, quibus nonnumquam ſe abſcondunt illæ, terriculamento etiam procurato, mox vero manifeſtant, vt ad ſe illos venire compellant, & arctiori amoris vinculo ſibi copulent. Nam ſtatim vt clamauerunt illi, voce & loquelâ familiari cognoſcendum ſe dedit,

Digitized by Google

dit,qui viſu non dignoſcebatur,dicens: *Habete fiduciam,* confidite,bono animo eſtote (idcirco enim noluit ſtatim quieſcere tempeſtatem, vt ſpem in ipſum agnitum, fiduciamq; conciperent) *Ego ſum*, is quem videtis, non ſpectrum aliquod aut phantaſma. *Ego ſum*, quem maxima poſſe iam ſæpiùs eſtis experti, ut non mirum ſit quod in vndis obambulem. *Ego ſum* à quo mali nihil timendum vobis eſt, quiq; facilè à periculo omni vos liberabo, pater, præceptor, & ſeruator veſter.

Ita quidem ſolemus alloqui eos, qui, cùm non videant, ex voce ob familiarem conuictum nota, nos poſſunt cognoſcere, *ego ſum*: ſed quàm fuerit verbum hoc Chriſto proprium, tamquam natura ipſi conueniens, & cum Deo comune, [d] facile eſt intelligere ex geſtis apud Ioannem. [e] Fiduciam itaque, ad quam ſuos hortatur, in præſentia ſua locat, ac ſi diceret, poſtquam ipſum ſibi adeſſe ſentiunt, ſolidam benè ſperandi materiam ſuppetere, multoq; minus eſſe quod timeant. Verba autem illa, *nolite timere,* ſunt non tantùm ſignificatiua, verum etiam effectiua, quibus terrorem qui animos illorum occupauerat, ne impediat ac moretur ipſorum fiduciam, corrigit. Hic effectus eſt vocis & præſentiæ filij Dei erga fideles, vt pacem animoſamq; fiduciam animis ingeneret, ne carnis timoribus cedant.

d Exod 3. v. 14.
e Cap. 18. v. 6.

Petri ingens fiducia.

Petrus, mox ſumpto animo ex IESV præſentia tam admiranda, vt erat feruentiſſimus & vbique ante omnes proſiliens, *reſpondens dixit*: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Non ſtatim tenebatur credere, illum, quem ſuper mare ambulantem videbat, & loquentem audiebat, eſſe IESVM: potuiſſet enim ſpectrum mentiri & effigiem & vocem IESV, vt poteſt angelum lucis. Quia igitur non certò ipſi conſtabat eſſe IESVM, idcirco *ſi tu es* inquit,

Quia

Quia verò ſpe optimâ ducebatur, vixque dubitabat ideo, & *Domine* inquit, & præceptum poſtulat, *iube me venire* ita vt res ſequatur. Non enim ſola iuſſionis verba poſtulat, quæ potuiſſet & phantaſma proferre. Iam didicerat imperio voluntatiq; IESV omnia ſubiacere, nec opus eſſe oratione ad Patrem, tantùm vt iuberet. Iubente enim IESV, credit facere ſe poſſe, quod non poterat duce natura. Addit prætereà *ad te*, vt te clarè videam, certoq; cognoſcam, & præſente fruar. Non itaq; præſumptio aut temeritas fuit petitio iſta Petri, ſed fidei charitatisq; ardor.

Non enim ad oſtentationem aliumúe eiuſmodi ob finem miraculum petijt, ſed tantùm vt ipſi IESV adeſſet quamprimùm, & ſe monſtrantem certò cognoſceret ac amplecteretur. Nam ſi per maris cùm altitudinem tum tempeſtatem licuiſſet, nihil huiuſmodi petijſſet, ſed ieciſſet ſe ipſe in mare, vt alibi fecit. *f* Quòd enim non dixit: Veni ad me Domine, modeſtiæ fuit, atq; obſeruantiæ, præſertim cùm videretur IESVS velle iter perficere mari. *g* Non itaq; tentat Deum, qui, Deo edente miraculum, ſi quæ reſtet dubietas, petit modeſtè miraculi accumulationem, ad Dei gloriam ſuamque ſalutem. Imò verò vt peteret Petrus in aquis ſibi ſterni viam, diuino conſilio geſtum eſt, eo quod mox declarabitur. *At ipſe ait: Veni.* Iubet partim vt ſe monſtret eũ eſſe quem dixerat, partim vt fidem Petri dilectionemq; commendet.

f Ioan. 21. v. 7.

g Mar. 7. v. 48.

Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad IESVM. Petrus nihil cunctatus poſtquam iuberet IESVS deſcendit è naui. Quòd enim IESVS id iuberet, non illuſor aliquis ſpiritus, cognouit, tùm ex fide ſecuritateq; in animo ipſius nata ad hunc iuſſum, tum ex eo quòd tentanti vndæ non cederent, IESV corporis grauis naturalem actionẽ prohibente.

Petrus ad imperium IESV ambulat ſuper aquas.

Dum

Dum igitur non ſolus IESVS inambulauit fluctuantibus aquis,ſed & Petrus faciente IESV, cautum eſt, ne quis de veritate carnis IESV dubitare poſſet, tamquam leuis naturæ & aëriæ, cùm de Petri naturâ non ſit dubitandi locus. Finis autem facultatis à Petro petitæ fuit, *ut veniret ad* IESVM. Oſtentationis causâ ſi petiſſet, non pertexiſſet rectà ad IESVM.

Videns verò ventum validum, quo facilè poſſet in abyſſum agi, tam inſolidè ambulans, ſi naturam ſpectes, *timuit*. Quamdiu conſiderabat Chriſti virtutem iuſſionemq́; fide plenus erat: at vbi, dimotis pauliſper oculis à IESV, cæpit conſiderare ventorum vehementiam, liquidamq́; vndarum naturam, timore correptus cæpit fide fluctuare: quæ cùm, periculo iam facto maris ſub pedibus confirmati, confirmari magis debuiſſet; ex carnis imbecillitate, accedente tentatione venti, imminui defecereq́; cæpit. Permiſit eum IESVS huic tentationi, vt perſpectam haberet fidei ſuæ teneritudinem atq; inconſtantiam: neq; ſibi quidquam arrogaret, ſed Deo & IESV laudem omnem adſcriberet. Cur timuerit.

Et cùm cæpiſſet mergi, clamauit dicens; Domine ſaluum me fac. A ventorum vehementiâ metus, à metu diffidentia, à diffidentia periculum, Chriſto & Petri corpus & maris aquas ſuæ relinquente naturæ. Quem ergò fides ſuper aquam portauit, diffidentia merſit.

Sed periculum reſuſcitauit igniculum fidei, vt ad IESVM pro ope refugeret, dum *clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac.* Huius rei anagoge vſus orat & Pſaltes: [b] *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam*, &c. b Pſal 68 v. 2. 3.

Et continuò IESVS *extendens manum apprehendit eum*, & ſubleuauit ac reſtituit aquarum planitiei, *& ait illi: Modicæ fidei quare dubitaſti?* Admonet diſcipulum, merſionis periculum in quod inciderat, non eſſe ab vndis aut ventis, quæ prius Petrus à IESV ſubleuatus.

 ſubſer-

ſubſeruierant, ſed à fidei imbecillitate. Non enim ſatis eſt fidem habere vehementem ac temporariam: ſed oportet habere perpetuam & conſtantem, etiam his in fluctibus ſeculi, qui nobis ad Chriſtum properantibus interitum ſæpè minantur.

Nondum eò peruenerat Petrus, vt de Chriſti potentiâ dubitaret: ſed fiduciam, quam conceperat ex potentiâ ſimul & præcepto Iesv, remiſit nonnihil, dum timorem admiſit in animum, ex venti vehementiâ plus æquo conſideratâ. Debebat enim, non conſiderare quid poſſet ventus, & exinde timere, ſed conſtanter, intentâ mente in virtutem iubentis Iesv, primam conſeruare fiduciam. Magis itaq; arguitur hîc fiduciæ exiguitas quàm fidei, quamquam illa ex hac naſcatur, ac proinde vtraq; notetur.

[i] Ioan. 6. v. 21.

Voluerunt ergò accipere eum in nauim, [i] agnitum, tum ex voce tum ex geſtis cum Petro, non tantùm non auerſati ſunt ampliùs vt ſpectrum, verumetiam expetierunt cupidiſſimè accipere ſecum in nauim, vt cum ipſo nauigantes, in reliquo itineris quod ſuperaret, non modico, præſentiâ ipſius, cùm fruerentur, tum à malis ſeruarentur: quemadmodùm & ille nauim ingreſſus eſt, [k] vt ipſorum deſiderio ſatisfaceret, *& ceſſauit ventus, & plus magis intra ſe ſtupebant*. Tantum abfuit, vt, cùm præſente iam Iesv, cognouiſſent ſpectrum non eſſe, deſtiterint obſtupeſcere, vt etiam multò magis quàm anteà ſint perculſi, ex eo quòd iam ſuis oculis viderent Iesvm fuiſſe qui per calcatum pedibus mare iter feciſſet, qui & Petro hoc indulſiſſet, denique cuius imperio venti acquieuiſſent, quæ longè ſunt ſupra conſuetum naturæ ordinem & humanis maiora.

[k] Marc. 6 v. 51.

[l] Diſcipuli confitentur Iesvm Filium Dei.

Virtute igitur Iesv & admirabili eius auxilio obſtupefacti, propiùs acceſſerunt, *& adorauerunt eum* ad genua accidentes, totóſq;

totoſq; ſe illi ſubijcientes *& dicentes: Verè Filius Dei es!* [l] Vt voce igitur, ita & reipsâ, profitentur fidem ſuam, dum honorẽ ipſi impendunt talem, qualis decet Filium Dei. Sed tam paruo tempore nauigauit cum eis, quàm videri poſſit non nauigaſſe, nam *ſtatim nauis fuit ad terram in quam ibant,* [m] adfuit ſeu appulit regioni illi. Sedata eſt tempeſtas, & ſucceſſit ſecundus ventus, tam opportunus & velox, vt vno quaſi temporis momento, reliquum itineris quod reſtabat plurimum, (non enim in latitudine, ſed in longitudine eius maris, quæ ex Ioſepho centũ ſtadiorum erat, nauigabant) confecerint. Nam quod Nonus paraphraſtes ait, *diuinâ agitatione nauis ſpontanea appellebat ad longinquum portum veluti mens alata.*

[l] Matth. 14. v. 33.

[m] Ioan. 6. v. 21.

CAP. VIII.

IESVS Petri de ſe fidem probat, & ſuper eum ut petram ædificandam à ſe promittit Eccleſiam.

Cæſarea Philippi cur ſic dicta.

VEnit aliquando IESVS cum diſcipulis ſuis in fines Cæſareæ eius quæ Philippi cognominata fuit hac de cauſa. 1

2 Philippus tetrarcha Itureæ & Trachonitidis, frater Herodis tetrarchæ Galilææ, vrbem, antiquitus, ante ingreſſum Iſraëlitarum in terram promiſſam vocatam *Leſem* ſeu *Lais*, deinde poſt ingreſſum, vbi à tribu Dan occupata eſſet, à nomine patris eius tribus nominatam *Dan*, [a] rurſus vbi rerum apud Syros potiti ſunt Græci, quibus notior erat Pan quàm *Dan*, appellatam *Paneas*, ædificijs inſtruxit, & in honorem regnantis Tiberij Cæſaris nominauit *Cæſaream*, [b] imitatus Herodem Aſcalonitam patrem ſuum, qui vrbem quam condiderat loco priùs dicto Turris Stratonis, [c] in Cæſaris Augusti gratiam vocauerat Cæſaream. . .

[a] Ioſ. 19. v. 47. Iud. 18. v. 29.

[b] Ioſ. Lib. 18. Antiq. Iud. c. 3

[c] Ioſ. lib. 15. Antiq. Iud. cap. 13.

Digitized by Google

Diſtinctionis porrò causâ, illa dicitur *Cæſarea Philippi*, tamquam dicas, Cæſarea à Philippo condita, cùm altera vt vetuſtior & nobilior ſimplici ferè Cæſareæ nomine celebretur, tum in Actis Apoſtolorum, tum in Antiquitatibus & Bello Iudaicis.

Vbi ſita. Sita fuit Cæſarea Philippi ad radices montis Libani, in valle ſeu planitie eâ quæ Rehobæa dicitur, vbi præcipuus Iordanis fons eſt, à quo flumini iſti impoſitum eſſe nomen tradunt doctores Hebræi vrbs Phœniciæ, olim ditionis Sidoniorum priuſquam à Danitis capta eſſet, *d* quam Philippus ſuæ tetrarchiæ metropolim conſtituit. Quæ quia à tergo, id eſt, verſus ſeptentrionem, habet montem Libanum, quo conſtat finitam fuiſſe Chananæam, ideò ſæpè pro termino terræ ſanctæ Aquilonari ponitur, quemadmodum Berſabee pro Auſtrali. Vnde genus illud loquendi in veteri Scripturâ, quoties vniuerſa Iſraelitarum terra deſignatur, *e A Dan uſque Berſabee*, q. d. quàm longa eſt terra Iſrael. Quia autem terminus ſeu extrema Iſraelitarum ciuitas fuit, veriſimile ſit Iſraelitas & Chananæos ſeu Phœnicæos mixtos illic habitaſſe, vt in finibus ſolent finitimi pacis tempore.

d Iud. 18. v. 7. 28.

e 1. Reg. 3. v. 20. &c.

In huic igitur ciuitati vicina loca eduxit diſcipulos ſuos Iesvs, & quidem ex Herodis tetrarchiâ in tetrarchiam Philippi, tum vt quàm latiſſimè, intra fines tamen à Patre conſtitutos, regnum Dei propagaret, tum vt & ſeorſum & tutiùs de ſummis myſterijs, quæ nondum promulgari oportebat, cum diſcipulis ageret. Interrogabat ergò eos non diſcendi ſed docendi gratiâ; nec de morum ſanctitate, aut vitæ integritate quærit, quæ notiſſima erat, ſed de opinione dignitatis auctoritatiſq; ſuæ; & id quidem non propter gloriæ cupiditatem, quam ille non affectabat, ſed vt diſcipulos declarantes hominum de ipſo iudicium varium, doceret

Cur Iesvs diſcipulos & quid interrogarit.

Digitized by Google

certius & maius aliquid ſentire, in ipſorum aliorumque vtilitatem. Dixit itaq; : *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* *Homines* nempe, ſeu populi terræ, qui biennio iam & eo amplius doctrinam meam audierunt, vitæ inſtitutum doctrinæ conforme obſeruarunt, miracula conſpexerunt, pleriquè etiam veritatem vtilitatemq; miraculorum reipsâ ſenſerunt, quorum de me opiniones audiſſe potuiſtis à me emiſſi, & audire poteſtis aliquando iterum. Reſponſum diſcipulorum

At illi dixerunt: [f] *Alij Ioannem Baptiſtam*, cuius anima rediérit in corpus nuper occiſum, faciei lineamentis vociſq; ſono, tantâ rerum mutatione variatis. Fuit autem hæc ſententia [g] eorum qui ante Ioannis mortem I E S V M non nouerant: è quorum numero cùm eſſet Herodes, iuit & in eorum ſententiam; quòd neminem noſſet Ioanne ſanctiorem; quòd eandem intelligeret eſſe I E S V doctrinam quæ fuerat Ioannis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* f Matth 16. v. 14. Marc 8. v. 28. Luc. 9. v 19. g Ibid. v. 7. Cur I E S V S Ioannes Bapt. exiſtimatus?

Alij autem Eliam, ex perſonæ grauitate, prædicationis libertate, & miraculorum famâ, interpretabantur eum eſſe Eliam, maximè cùm ſcripturis prophetarum accepiſſent Eliam rediturum, [h] nec mortuum ſed raptum. [i] Cur Elias? h Mal. 4. v. 5. i 4. Reg. 2. v. 11. 12.

Alij verò Ieremiam rediuiuum, quòd id præſtare videretur, quod Ieremiæ dictum fuerat: [k] *Ecce conſtitui te*, &c. *Ne formides*, &c. *Ego quippe dedi te*, &c. Cur Ieremias? k cap. 1. v. 17. 18.

Aut unum ex prophetis ſ. antiquis rediuiuum. [l] Non certo nomine, ſed verè tamen vnum aliquem antiquiſſimorum illorum ac miraculis celeberrimorum prophetarum rediuiuum apparere credebant, eorum præſertim quibus florentibus maximæ rerum mutationes à Deo patratæ fuerant, cuiuſmodi Moſes, Ioſue, Samuel, Ieremias fuere. Nam vt ſibi perſuaderent nouum eſſe prophetam ſuæ ætatis, maiora erant ea quæ gerebat ac patrabat, quàm vt permitteret inui- l Luc 9 v 8. 19. Aut alius Propheta?

dia inæquales. Tantum igitur homines, ex miraculorum, virtutis, doctrinæ, ac integritatis vitæ IESV obſeruatione, aſſequuti hactenus fuerant: quorum, cùm variæ ſententiæ eſſent, nulla tamen vltra propheticam dignitatem proceſſerat. Erant qui eò profecerant vt Chriſtum eſſe crederent (vt illi qui ipſi acclamauerant *Fili Dauid*[m]) ſed pauci, & quidem obſcurè, nec ſine errorum admixtione plurimorum: nam plerique, quò minùs ipſum crederent Chriſtum, deſiderabant in eo regiæ dignitatis ſplendorem, offenſi ipſius humilitate. Nulli verò eò vſq; aſſurrexerant, vt aliquid humana natura præſtantius de ipſo ſentirent.

A quibus *Chriſtus* creditus? [m] *Matth. 9. v. 27. Item 15. v. 22.*

Dicit illis IESVS: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Magna eſt in hoc pronomine *vos* emphaſis, qua diſcipuli opponuntur & ſeparantur à vulgo hominum. q. d. Saluator: In varias de me ſententias ſectum eſt hominum vulgus, quemadmodum retuliſtis: vos autem, qui perpetui fuiſtis, & operum meorum ſpectatores, & doctrinæ auditores, qui familiariter mecum publicè priuatimq; indiuidui ſocij verſati eſtis, qui in nomine meo plurimas ipſi quoq; feciſtis virtutes, quibus myſteria regni cælorum nudè abſq; parabolarum ambagibus aperui, & omnia quæcumq; audiui à Patre nota feci, quibus proinde meliùs certiusq; innotuiſſe debeo, *quem me eſſe dicitis?* qua dignitate auctoritateq; præditum, quouſque nam profeciſtis vos fide in me?

Non ignorabat quid ſentirent, ſed ab ijs inprimis qui aliorum erant doctores deſtinati, oris confeſſionem exigit, laudaturus ſi quidem rectè ſentiant; ſin minùs rectè emendaturus.

Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Petrus primus dixit ſententiam ſuam, vt qui & primus erat à Chriſto in hoc collegio, [n] & cæteris erat feruentior.

Inſignis Petri confeſſio. [n] *Matt. 10. v. 2.*

tior. Silentibus enim haud dubium reliquis & hæſitantibus quid eſſent dicturi, Petrus qui iam ardebat veritatis diuinitùs ſibi reuelatæ amore, ante cæteros ſententiam dicere voluit, eo magis quòd metueret ne quis eorum indignius aut abiectius quid proferret quàm Chriſti maieſtatem deceret. Suam dixit ſententiam, non collegarum, cum quibus rem non contulerat, quorumq́; opiniones non erat rimatus: verùm id dixit quod ſibi & omnibus tenendum eſſe credidit, quodq́; vt omnes ſequerentur optauit.

Tu es Chriſtus filius Dei viui. Hæc mea de te, quem video oculis meis, auribus audio, manibus contrecto, quicum familiariter hactenus verſor, ſententia fidesq́; eſt.

Nihil ferè commune habet hoc Petri teſtimonium cum illis quæ Apoſtoli ex hominum opinione retulerant: illic enim humana omnia, quamuis ſanctiſſima; hîc omnia diuina, profunda, admiranda, fidei, ſpei, & conſolationis plena, indicantur.

Tu es Chriſtus ille à Lege & Prophetis olim promiſſus, & à ſanctis omnibus hactenus exſpectatus ac deſideratus, vnctus conſecratusq́; à Deo Rex, Sacerdos, & Propheta: Propheta ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, Sacerdos ad reconciliandum illos Deo, Rex ad protegendum illos & ornandum. *Chriſti paraphraſis.*

Filius Dei viui, non Dei alicuius ab hominibus habiti fictiúe, ſed eius cuius natura eſt Deum eſſe, qui per ſe viuens ab æterno, naturaliſſimo viuentis opere te genuit ſibi æqualé, & reliquis rebus omnibus viuis cum tempore à ſe creatis vitã viuificandiq́; facultatem fons ipſe vitæ ſubminiſtrat. Additur *viui*, tum ad diſtinctionem à filijs deorum fictitiorum, (quales erant Heroes Gentibus) illi enim Dij, vel nõ viuunt omnino, vel à Deo creatore habent vt viuant, ac proinde nec dij ſunt; tum *Item Dei viui.*

tum ad diſtinctionem à filijs Dei adoptiuis, in quos, non naturam ſuam Deus transfudit viuentis opere, ſed gratiam creantis ſeruantisue liberalitate.

Breuis Petri confeſſio, ſed quæ totam fidei ſalutiſq; ſummam in ſe contineat, D. Ambroſio teſte. Aduerſus varias turbæ opiniones profitetur IESVM eſſe Chriſtum: contra verò id quod Iesus ſe filium hominis ſummiſsè vocarat, magnificè eum filium Dei prædicat; & hominem illum agnoſcens, Chriſti titulo inſignem, & Deum, illuſtrem nomine iure debito filij Dei. Quòd Dei filium dicit, potentem declarat; quòd Chriſtum, datum paratumq; ad redimendum humanum genus, doctrina inprimis quam offert ſalutis, ſacerdotio deinde, quo det ſemetipſum pro hominibus vt illos redimat ab omni iniquitate, & mundet ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum, regno deniq; quo illos in fidem præſidiumq; ſuum receptos conſeruet, ornet, locupletet, beet. Hæc enim tria ſub Chriſti elogio comprehenduntur, doctrina ſalutis, ſacerdotium æternum, & regnum æternum.

Reſpondens autem IESVS *dicit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus qui in cælis eſt.*

Laudatur à Iesv Petri ſententia.

Non rogauit cæteros ex ordine diſcipulos quid ſentirent, quòd ſciret eos nondum inſtructos cognitione veritatis: ſed Petri ſententiam, cauſam tam exactè quàm verè definientem quum audiſſet probauit, laudauit, & ſequendam omnibus, vt cælitùs à Deo Patre profectam, ſuâ auctoritate propoſuit.

Forma Concilij celebrandi.

Conſideranda porrò hoc loco, maximi ponderis & auctoritatis actio Chriſti, quomodo typum quemdam exprimat celebrandi concilij. Nam miſſis cæteris, ſolus cum diſcipulis, poſt preces Deo oblatas, (id enim habet Lucas) de

ſummâ

ſummâ rerum quæſtionem proponit: & admirabili quodam ordine (vt priùs deſtruantur errores, ac ſubinde ſolidâ firmitate veritas ſtabilita locetur) inprimis interrogat quæ ſit illorum qui foris ſunt opinio de filio hominis, demùm quæ diſcipulorum. Vbi cùm Petrus cæteris in ſummæ fidei profeſſione præſtitiſſet, & quid eſſet ſentiendum fixiſſet clauum, conſtituit eum Chriſtus Chriſtianę fidei atq; Eccleſiæ caput. Verborum

Beatus es Simon Bar Iona, id eſt, felix es ob hanc tuam fidem illiuſque profeſſionem, quâ primus emines. Verba iſta ex Chriſti pectore effuſa intelliguntur, gratulantis, non ſibi honorem, ſed Petro felicitatem. Chriſti paraphraſis.

Beatus es, id eſt, ornatus huiuſmodi dono, fide inquam iſtâ in me, quo beatitudinem infallibiliter conſequêris, &, vt primus in hoc genere, dona alia maxima, quibus, & ſum̃um tibi ipſe promereberis beatitudinis gradum, & innumeros alios tecum ad beatitudinem adduces. Ex fide in IESVM Chriſtum filium Dei viui beatitudo,[o] abſq; eâ miſeri & maledicti naturâ ſunt omnes homines.[p] Prædicauerant porrò antehac & alij IESVM filium Dei, Nathanael,[q] & diſcipuli omnes:[r] ſed non naturâ filium Dei intellexerunt, aut certè non explicitè illud crediderunt ac profeſſi ſunt, quemadmodùm hîc Petrus: qui ſi hoc idem nuper profeſſus fuerat,[s] non illic opportunitas fuerat laudandi atq; ornandi illum quemadmodum hîc, vbi in concilio, ad ſcrutandam veritatem à IESV conuocato, rogatus dixit ſententiam ſuam. *Beatus es.*

o Ioan. 17. ℣. 3. & 20 ℣. 31.
p Ephe. 2 ℣ 3 5.
q Ioan. 1 ℣ 41.
r Matth. 14. ℣. 33.
s Ioan. 6. ℣ 69.

Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi; q. d. Nihil mirum ſi tua iſta in me fide te beatum dicam, *quia* non vulgaris res eſt, ſed diuina prorſus, nec niſi è cælo accepta. Caro itaque & ſanguis (quibus nominibus homo & humanum omne ſignificatur, hinc accepta loquendi conſuetudine, cuius vſus eſt etiam in Scriptura,[t] quòd homo carne potiſſimùm & ſanguine *Quia.* *Caro & ſanguis.*

t Ioan. 1. ℣. 13. Gal 1 ℣. 16. Ephe. 6. ℣. 12.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Teſtimonio de ſe Apoſtoli reddit vicem, q. d. Tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: viciſſim ego dico tibi: Tu es Petrus. *Dico*, non caſſo ſermone, ſed quem res ipſa conſequetur. *Dico*, vt Chriſtus filius Dei viui, qualem confeſſus es. Seipſum enim, quod hîc notat Chryſoſtomus, pollicitationibus ſubſequentibus filium Dei eſſe reuelat & oſtendit. Ornat autem Simonem promiſſione eminentis dignitatis IESVS, ad illius beatitudinem inter cætera pertinentis. IESVS vicem reddit Petro. *Dico.*

Quod verò dixit: *Tu es Petrus*: idem eſt, ac ſi diceret, *Tu es petra ſuper quam ædificabo Eccleſiam meam*, antecedens enim poſitum eſt loco relatiui. Atque hic eſt clarus & euidens huius loci ſenſus: non enim hîc imponit Saluator Simoni nomen *Cepha*, ſed nuper impoſiti [x] iuſtam innuit rationem: *Tu es petra ſuper quam*, &c. ſupple, ita vt meritò tibi nuper petræ nomen dederim. Vnde quidam non dubitant, etiam id quod latinè habemus *Tu es Petrus*, exponere Tu es petra: quibus S. Leo velle videtur, [y] vbi ait: *Tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis* (&c.) *ego fundamentum* (&c.) *tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* His porrò nil obſtat quòd Chriſtus *petra* ſeu *cepha* dicatur: [z] nam, præter id quod mox S. Leo nos docuit, B. Hieronymus in hunc locum notat: *Sicùt ipſe lumen, Apoſtolis donauit ut lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſecundùm metaphoram petra rectè dicitur ei:*

Tu es Petrus. Lege hic D. Franciſcum Lucam *in com. Matth. c. 16.* ✠ 18

x *Marc 3. ✠. 16.*

y *ſerm. 3. anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.*

z *1. Cor. 10 ✠. 4.*

Digitized by Google

quam enim & ante tempora Petri, ab ipſo mundi exordio, eccleſia extiterit, & iam tunc IESVS collegerat cœtum quendam diſcipulorum: ſed rara erat, perparua, minimeq; copioſa eccleſia, nec adhuc aut vocabatur aut agnoſcebatur eccleſia IESV Chriſti, donec ipſe eam ſoluto reipſa ſanguinis ſui pretio redemiſſet, & diuiter effuſo Spiritu ſancto ſanctificaſſet, illuminaſſet, ac roboraſſet eximiè ac manifeſte, certa etiam Reipublicæ forma conſtituta.

Die itaque ſacro Pentecoſtes inſigniter cœpit IESVS ædificare, propagare, ac dilatare eccleſiam ſuam, eamque ædificat iam inde ab eo tempore vſque ad ſeculi iſtius finem, quamdiu nouos aliquos fideles in eccleſiam, tamquam nouos lapides in ſtructuram, admittit atque inſerit: & quidem ſuper Simonem filium Iona, tamquam ſuper primum ædificij lapidem petramque immobilem ædificat, quia huic primum profeſſo IESVM Chriſtum filium Dei viui, infallibilis veritatis & inſuperabilis roboris fidem, in eaq; conſtanter perſeueranti, reliquos omnes aggregat, fidei illius imitatores, illo, vt fidem illam, ita & firmitatem, in omnes vniuerſamq; ædificij compagem diffundente. Nam & ipſe, die feſto Pentecoſtes, primus cœpit Euangelium annunciare, nec eo tantùm die, ſed & ſubſequentibus, videre eſt in Actis Apoſtolorum, primum ipſum vbique promulgare ac propugnare fidem Chriſti, tum inter Iudæos,[f] tum inter Gentes.[g]

Eccleſia IESV cœpit die Pentecoſtes ædificari.

Igitur quemadmodum Abram merito eius qua Deo credidit fidei dictus eſt Abraham, & promiſſionem accepit patrem ſe fore multarum Gentium,[h] credentium inquam omnium, Apoſtolo interprete,[i] ita Simon Bar Iona merito fidei illius excellentis, quam à Deo acceptam primus pro-

Comparatio Petri cum Abraham.

f Act. 2. 3. 4. 5.
g Act. 10. 11. 15. v. 7.
h Gen. 17 v. 5.
i Rom. 4. v. 16. 17.

 feſſus

Digitized by Google

feſſus fuerat, nomen accepit virtutemq; petræ, & promiſſionem ædificandæ ſuper ſe Eccleſiæ, vt caput & robur fidei Chriſtianæ.

Hæc cùm manifeſta ſit ipſius Iesv ſententia non poteſt ipſi Iesv eſſe iniuria, quaſi qui eccleſiam ſuam ſuper hominẽ ædificarit: quando robur illud Simonis petrinum, Iesvs, non humanis Simonis viribus tribuit, ſed fidei illius in ſe Chriſtum filium Dei viui; & fidem ipſam, non carni, & ſanguini, ſed Deo Patri. Vnde clarum euadit, ita Super Simonem petram ædificatam eſſe eccleſiam, vt virtus ſoliditasq; omnis ipſius petræ, à Chriſto & Deo proficiſcatur.

Portæ inferi. *Et portæ inferi non praualebunt aduerſus eam.* Portæ ponuntur pro ijs quæ intra portas habitant aut ſunt, & per portas egrediuntur aut emittuntur, præſertim verò pro poteſtate publicâ, quæ exercendi iudicij causâ in portis reſidere, & præſidijs militum quæ in portis excubare conſueuerunt. Latinis inferus dicitur, ſeu potiùs inferi quòd à Deo, qui ſanctis ſuis gloriam ſuam ſuprà in cælis manifeſtat, & ab omni pariter bono, quàm longiſſimè abſint. Opponit Saluator ædificium ædificio, ciuitatem diaboli ciuitati Dei. Sunt itaq; portæ inferorum, inferi ipſi, vis omnis ſatanica & poteſtas diaboli, quidquid vel viribus vel conſilio poteſt Satan tenebrarum princeps inferis egreſſus, quæ omnia alijs etiam metaphoris deſcripta ſunt apud Matthæum. k Nihil dicit de humanâ potentiâ, tum quòd ſub ſatanicâ intelligatur vt minor ſub maiore, tum quòd hæc ferè non niſi ſatanâ agente oppugnet eccleſiam.

k Cap. 7. v. 27.

Non praualebunt aduerſus eam. *Non praualebunt aduerſus eam,* non vincent illam ſ. eccleſiam, non ſubuertent à me ſuper te ædificatam aut in ſuam redigent poteſtatem. Senſus eſt, Quæ eccleſia mea,

eam

Digitized by Google

eam accipiet firmitatem ex ſui ſuper te petram ædificatione, vt contra omnem ſatanæ potentiam ſit conſtituta inuicta, mihi conſtanter adhærens ac parens, & ſalutem in me ſperans ac conſequens: nempè, quia inconcuſſa perpetuò manebit Dei veritas, cui innititur fides illa tua quam es profeſſus, præbens tibi robur petræ; quam, vnà cum ipſo robore, in eccleſiam meam, tibi tamquam capiti primoque huius fidei profeſſori ac doctori aggregandam, diffundes.

Nititur ergo Eccleſia Chriſti ſolidâ petrâ, id eſt, Petro profitente IESVM Chriſtum filium Dei viui, tam firmiter ſuper illam ædificata, vt nullâ vi ſubuerti queat, id eſt, à Chriſto ſeparari aut ſalute in Chriſto excidere vel fruſtrari. Hoc primò hîc ſignificatur; ſecundò autem quòd non tantùm non ſubuertetur, verumetiam ſubuertet ipſa omnes diaboli machinationes & munitiones, non tantùm non vincetur, verumetiam vincet, nec poterit ipſi reſiſtere quidquid tandem ad ipſam oppugnandam ex inferis prodierit. Secundò in quam hoc hîc ſignificatur, nam primò non poteſt, absque iacturâ perſeuerantis metaphoræ à petrâ acceptæ, quæ oppugnatam ponit Eccleſiam, non oppugnantem; præter hoc quòd non ſemper Eccleſia expugnare queat portas regnaq; inferorum, vt non eſt hoc illi promiſſum.

Eccleſia in terris ſemper hoſtibus expoſita, ſed inſuperabilis.

Hîc itaque monemur, quamdiu in terris peregrinabitur Eccleſia, minimè quietam fore, ſed multis hoſtium inſultibus expoſitam. Nam ideò negatur ſuperior fore Satan, quia illi aſſiduè infeſtus erit. Sed habet illa promiſſionem hanc victoriæ, certam & infallibilē: quæ etſi ad ſingula illius membra nō extendatur (poſſunt enim ſingula vinci) tamē ea,

viuis

Digitized by Google

viuis membris illiq; conſtanter adhæreſcentibus, puſillanimitas omnis aufertur à Satanâ oppugnatis, & ſpes optima datur de omnibus illius copijs triumphandi. Verùm vt ſpes optima datur triumphi, ita rurſus quaſi claſſicum canitur, vt ſemper ad bellandum inſtructa ſint & parata.

CAP. IX.

De clauibus Regni cælorum, & ſummâ poteſtate Petri, & ſucceſſorum eius ſummorum Pontificum.

a Matth. 16. v. 19. Promittit Iesvs claues Petro, cum ſummâ poteſtate ſoluendi atq; ligandi.

PErgit Iesvs in ornando ac beando Simone filio Iona, quem ſolum alloquitur dicens: *a Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Promiſerat fore ipſum in Eccleſiæ ſuæ fundamento petram ipſam, id eſt, caput ac robur fidei Chriſtianæ; iam promittit ſummum fore in Eccleſiâ ſuâ rectorem. Conueniebat enim vt primus eſſet auctoritate, qui primus fuerat fidei profeſſione & charitate. Dicit itaque: *Et tibi*, non alteri, *dabo* ego, penes quem iterum vt Chriſtum filium Dei viui, eſt ea poteſtas atque auctoritas. *b* Non dicit *dabuntur*, ſed *dabo*: quo ſanè verbo ſibi ipſe omnem poteſtatem regni cælorum vt domino vendicat, ita vt eam poſſit committere cuicumque placuerit, idq; ſummo iure. Cùm enim ſit filius Dei viui, nihil non ſubiacet ipſius ſummo imperio: cùm verò etiam ſuâ ipſe morte paraturus ſit hoc regnum, non eſt alterius quam ipſius, regno quemquam præficere.

Tibi dabo.

b Apoc. 3. v. 7.

Rurſus autem *dabo* ait non *do*, promittit non dat, ſiue quia nondum omninò conditum erat hoc regnum, (*ædificabo* enim mox dixit) nec claues ipſæ, quales alteri dandæ,

Iesv

Digitized by Google

IESV morte fabricatæ (Sacramenta enim legis nouæ ex Chriſti paſſione ſunt orta) ſiue quia nondum erat tempus alteri tradendi claues, ſed conueniebat vt ipſe illas ſeruaret ſibi, & plenâ ſolus ipſe auctoritate gubernaret eccleſiam ſuam, quamdiu præſens viſibiliſq; adeſſet. Poſt reſurrectionẽ autem, cum pararet ipſe abitum, viſibilem ſui præſentiam ſubtracturus, tunc opportunum erat alterum ſuo loco conſtituere. Tunc igitur dedit claues, quas hîc promittit, Simoni filio Iona, quando tertiò illi mandauit, *paſce oues meas*.[c]

Claues Petro poſt reſurrectionem Chriſti datæ.

[c] Ioan. 21. v. 15. 16. 17.

Huius porrò meminiſſe oportet Simonem illiuſq; ſucceſſores, quòd claues non à ſe ipſis habeant, ſed à Chriſto datas, quibus proinde vti debeant, non pro arbitrio ſuo, ſed pro ea quam nouerunt Chriſti voluntate: quamquam enim reliquis ipſi poteſtate ſuperiores ſint, at Chriſtus ipſis, à quo omnis ipſis poteſtas collata eſt.

Claues à Chriſto.

Claues deſignant ſummam abſolutamq; poteſtatem atque auctoritatem, hæc enim clauibus ſignificatur, metaphora ſumpta ab eo, quòd claues domus ciuitatiſq; penes illum eſſe ſoleant, cui eſt ſumma gubernandæ domus ciuitatiſq; auctoritas, cuius eſt expellere, intromittere, excludere quos iudicauerit: Vnde etiam ſolent principibus, quando à ciuibus recipiuntur & domini agnoſcuntur, ciuitatis claues afferri. Similis eſt loquendi figura alibi in ſcriptura.[d]

Claues quid ſignificent.

[d] Iſa. 22. v. 22. Apoc. 3. v. 7.

[e] Matt. 3. v. 2.

Regnum verò *cælorum* hîc accipitur pro eccleſiæ ea parte quæ in terris militat,[e] quam idcirco hîc regnum cælorum potiùs vocat quàm repetat vocem eccleſiæ, vt ſciat Simon poteſtatem quæ ipſi promittitur ſpiritalem & cæleſtem eſſe, eiuſmodi qua regantur homines ita vt requiritur vt ad cæleſtem beatitudinem queant perduci. His itaq; verbis promittitur Simoni abs IESV poteſtas ſumma abſolutaq; auctoritas in eccleſiam ſuam, adeoq; prædicit IESVS ſucceſſurum illum

Quid *regnum calorum*?

vicarium muneri iuriq; ſuo poſtquam terras ipſe reliquerit: neceſſarium iudicans, *uno capite conſtituto, omnem ſchiſmatis tollere occaſionem*, quod Hieronymus annotat in Iouinianum. quod vbi præſtitit Iesvs Simoni, conſtituit illum haud dubiè à ſe ſupremum caput ſummumq; paſtorem ſuæ in terris militantis Eccleſiæ, & vniuerſo terrarum orbi præpoſuit, ita Chryſoſtomus. *f*

f in 16. c. Math.

In quo conſiſtat auctoritatis gubernandi eccleſiam.

Sita eſt autem auctoritas, iſta ſumma gubernandi eccleſiam, in admittendis his illiſúe in eccleſiam, in excludendis expellendiſq; alijs, in docendâ eccleſiâ leges quas Chriſtus per ſe ipſe tulit, in condendis alijs pro loco & tempore neceſſarijs vtilibuſq; ad obſeruationem legum Chriſti & ſpiritalem eccleſiæ ſalutem, in coërcendis transgreſſoribus, in recipiendis in gratiam eis quos malè actæ vitæ pœnitet, in condonandis mitigandiſúe pœnis pro peccatis debitis, in commutandis promiſſionibus & votis Deo nuncupatis, in ordinandis epiſcopis, ſacerdotibus, diaconis, alijſq; cooperatoribus, deniq; in ijs rebus omnibus gerendis, quas Iesvs ipſe gereret; ad regendum eccleſiam iuxta formam á ſe ſemel conſtitutam, ſi conſpicuus ipſe adeſſet, quæ ſcilicet ad ſpiritalem æternamque hominum per Chriſtum ſalutem pertineant.

Summa poteſtas penes ſolú Petrum.

Horum verò quamuis pleraq; non ſolius ſint Petri eiuſque ſucceſſorum, verumetiam aliorum Apoſtolorum & Epiſcoporum, atq; adeò ſacerdotum: tamen poteſtas horum omnium ſuprema ac plena penes ſolum eſt Petrum, alijs vel ſub ipſo vel etiam ab ipſo accipientibus poteſtatem certis limitibus circumſcriptam.

Explicatur Petri Poteſtas alia metaphora.

Relictâ tamen clauium metaphorâ, tranſit Saluator ad aliam, ſed non abſimilem: nam claudere & ligare, rurſus aperire & ſoluere, ſibi mutuò admodum vicina ſunt. Volens ergò Iesvs declarare ſupremam poteſtatem Simoni proximis verbis

bis

Digitized by Google

bis promiſſam, adfert in exemplum vnum quoddam, præcipuum ex multis quę erunt poteſtatis ipſius, quòd penes ipſum erit ſum̃a omnium vitæ ſpiritalis mortiſq; auctoritas, quòd quoscunq; peccatis obſtrictos poterit vel iuſtè punire vel clementer ſeruare, quâ in re quo ampliorem obtinent facultatẽ principes terræ, eo arbitrantur dominatum ſuum & perfectiorem eſſe & glorioſiorem. Dicit ergo Iesvs Petro in hanc ſententiam: Quibus clauibus inſtructus, fiet vt quemcunq; eorum qui ciues erunt huius regni per orbem terrarum diffuſi *ligaueris* malè liberum tu in terrâ iudicem agens in eos qui degunt in terrâ (ad mortuos enim non extenditur hæc Petri poteſtas niſi impropriè) erit firmum ratumque: erit is habeb turq; ligatus eâ ratione, quâ à te fuerit ligatus, non tantùm in terrâ inter homines ciues regni huius mei, verumetiam in cælo, meo & Patris mei iudicio. Idem erit meum Patriſq; mei iudicium, quod fuerit tuum. *Et quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælo.*

Elegans ſanè antitheſis cæli & terræ, longiſſimè à ſe mutuò diſtantium, quâ com̃endatur poteſtas iſta Petro data. Pergit deinde Saluator. Et quemcumq; eorum qui ciues erunt huius regni per orbem terrarum diffuſi *ſolueris* ſuis vinctum peccatis, pœniſue promeritis; cuicumq; peccata aut pœnas peccatis debitas remiſeris; erit is habebiturq; ſolutus ea ratione qua à te fuerit ſolutus, non tantùm in terra inter homines ciues regni huius mei, verumetiam in cœlo, meo & Patris mei iudicio. Idem erit meum Patriſq; mei iudicium, quod fuerit tuum. Vbi plura conſideranda ſunt, & inprimis, quomodo ligare dicatur Petrus, & quomodo ſoluere. *Antitheſis cæli & terræ. Et quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælo.*

Quamdiu peccator quod vult agit, liber ſibi hominibuſque videtur; quando autem pro merito punitur, ligatus. Ligat igitur peccatorem Petrus, dum lata ſententia cogit illum ſubire meritas pœnas, ſiue capitalem, vt ſi eccleſia illum expellat & ſeparet à communione ſanctorum, *Quomodo dicatur Petrus ligare & ſoluere.*

Digitized by Google

aut neget ei peccatorum remiſſionem; ſiue inferiorem, vt ſi differat remiſſionem peccatorum, ſi ad tempus iubeat eſſe abſtentum, ſi alijs etiam humiliatum modis, ſi ieiunia præcipiat, cæteraq; opera carnis afflictiua, ſi eleemoſynarum mandet largitionem precumq; augmentum. His omnibus alijſq; huiuſmodi modis ligatur à Petro peccator, durius mitiuſue pro meritis; & hoc, vel publico iudicio, ſi peccata ſint publica, vel ſecreto.

Ligare impropriè dicitur Chriſtus vel Petrus.

Sciendum porrò, ligare peccatores, nec Chriſti, nec Petri proinde vicarij, proprium eſſe munus: cùm Chriſti proprium munus à prophetis eſſe deſcribatur, *vinctos*, non vincire amplius, ſed *ſoluere*.[g] *Venit enim* (quod ipſe de ſe ait[h]) *non ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum*; *venit*, inquam *peccatores ſaluos facere*.[i] Accidentale igitur Chriſto Petroq; eſt & quaſi præter naturam ligare peccatores: ſed quia in eccleſiam irrepunt quidam ficta animi conuerſione, alij in eccleſiam admiſſi (quæ hominum eſt, aliquorum infirmitas, aliquorum malitia) degenerant, nec, quod ſanctè promiſerant, pergunt abrenunciare diabolo & pompis eius, neceſſum eſt Chriſto Petroq;, tam pro publica totius Eccleſiæ quàm pro priuata ipſorum peccatorum ſalute, ligare peccatores, durius mitiuſue, pro peccatorum qualitate, & ea quam præbent emendationis ſpe.

g Iſa. 42. & 7. 49. & 9. 61. & 1. & alibi.
h Ioan. 3. & 17.
i 1. Timoth. 1. & 15.

Peccata cur vincula dicantur.

Peccata verò vincula vocantur per translationem, tum quòd hominem fædæ captiuitati diaboli peccatiq; ſubijciant, adimantq; ei veram quæ ex virtute eſt libertatem, tum quòd luendis pœnis reddant obnoxium, quas impoſſibile illi ſit effugere.[k] In peccato enim vnoquoq;, mortifero præſertim, duo ſunt vinculis non abſimilia, macula ſiue fæditas animæ inhærens, qua Deo diſplicet homo, & diabolo ſimilis, illi iungitur vt ſeruus, ſubijciturq; vt captiuus; & reatus, quo debitro

k Prou. 5. & 22.

Digitized by Google

debitor eſt homo pœnæ, æternæ inprimis, deinde & temporariæ. His accedit nonnumquam tertium vinculum, illud quod diximus ab ipſo Petro inijci, dum peccator vincula illa ſua quibus tenetur non ſatis agnoſcens, imò fortè belle liberum ſe exiſtimans, vt reſipiſcat aliquando, illaqueatur innodaturque vinculis pœnisq; excommunicationis maioris minorisue, ſatisfactionis, aut ſimilibus. Hæc porrò vincula omnia ſoluit Petrus, ea quam à Chriſto accepit poteſtate: & quidem illud excommunicationis, quando peccatorem correctum recipit in eccleſiam quem expulerat deploratū, aut admittit ad communionem Sacramentorum, quam antè negauerat. Illud autem fœdæ captiuitatis, ſeruitutis, vnionisue vinculum, ſoluit, quo obnoxius eſt peccator pœnæ temporariæ, ſiue illi Petrus ipſe ſubiecerit ipſum, ſiue illam Dei iuſtitia exigat, ſoluit, quando, ob cauſas rationi congruas, concedit peccatori indulgentiam quam vocamus, id eſt, pœnas illas vel integrè vel partim remittit.

His itaque ferè modis, ſoluit Simon Petrus, ea qua hîc ipſi à Chriſto promittitur auctoritate, miſerè ligatum peccatorem, & hoc quidem, publico nonnumquam, nonnumquam ſecreto iudicio. Nam quod promiſſum eſt à IESV, etiam datum eſt procul dubio, etiamſi nuſquam datum legeretur: quamquam locus ille Ioannis [l] rem hanc totam complectatur. Etſi verò ſimilis ligandi ſoluendique poteſtas alibi etiam cæteris Apoſtolis & Epiſcopis data ſit, [m] non tamen ea auctoritatis in omnes eminentia & plenitudine poteſtatis, qua hîc Simoni promittitur eiuſq; ſucceſſoribus, quorum eſt & reſtringere ordinariam aliorum poteſtatem, vbi id expediat Reip. Chriſtianę. Vnde Synodus Alexandrina, Athanaſio præſidente, ex ſententia Nicænæ Synodi ſcribit Felici Papæ, *Romanæ Sedi ab ipſo Domino poteſtatem ligandi & ſoluendi*

[l] cap. 21. v. 15. 16. 17.

[m] Matth 18. v. 18. Ioan. 20 v. 23.

Digitized by Google

ſpeciali eſſe priuilegio ſuper alios conceſſam. Supremum itaque in eccleſia ſua iudicem Iesvs Simonem conſtituit, & ſimiliter ſucceſſores illius. nec enim Eccleſiæ ſuæ, non vltra Simonis vitam, proſpexit.

Quomodo intelligenda ſententia Chriſti.

Intelligendum porrò hîc eſt, Saluatorem habere pro re poſita, quando promittit ſententiam iudicij cæleſtis nihil diſcrepaturam ab ea quam in terra tulerit Simon Petrus, Simonem poteſtate hac legitimè vſurum, ita vt nihil agat, impellentibus, odio, fauore, cæteriſúe humani animi affectibus, ſed iudicet iuxta iuſtitiæ æquitatiſq; regulas, ſequatur leges Chriſti ac Dei: nam ſi, verbi gratia, inſontem ligaret, non eſt mens Chriſti id ratum in cælis fore. Vnde & intelligere licet, hanc iudicandi auctoritatem Petro datam, nullum præiudicium adferre iuri Dei, quaſi is vt pedarius iudex ſubſcribere cogatur, mortalis hominis ſententiæ, quando Petro incumbit nil niſi ex iuſtitiæ regula pronunciare, tantumq; fideliter exſequi ſtudere quod Deum exiſtimet mandare.

Ita fit igitur vt nihil aut ſibi aut Patri deroget Chriſtus interpoſito hominis miniſterio, quin ſolus ipſe abſoluat & liget auctoritate non ab alio accepta, ſed propria. Iam verò vna hac iudicandi auctoritate, ligandi ſoluendiq; facultate, inſignis illa excellentiæ; intelligit Saluator id omne facultatis, quod vel neceſſarium vel vtile fuerit ei cui datæ ſint claues regni cælorum, qui vniuerſo regno regendo gubernandoq;, ita vt ad cæleſtem beatitudinem adduci queat, ſic præpoſitus, & id omne ratum fore in cælo, quod is in terra ex quacumq; huiuſmodi facultate gesſerit. Vt autem huiuſmodi honoris eminentiæq; coronis ornauit Simonem Iesvs: ita prouidit fidelium eccleſiæ ſuæ, eorum, qui bonæ ſunt voluntatis, conſolationi, vt de peccatorum remiſſione, cæteriſq; bonis ſpiritualibus quæ Petrus eiuſúe ſucceſſores ipſis fuerint

largiti,

Digitized by Google

largiti, non minus ſecuri ſint quàm ſi ipſe teſtis è cælo deſcẽderet; eorum verò qui ſequuntur concupiſcentias ſuas terrori, ne, quando à Petro eiusúe ſucceſſoribus puniuntur pro meritis, contemnant quia cũ hominibus rem ſibi eſſe putent, poſtquam idem vnum ſit cæleſte Dei quod terreſtre Petri iudicium, &, vt Chryſoſtomi verbis vtar, *quamuis homo ſit mortalis, cæleſti tamen polleat poteſtate.* Certiores enim ſuos IESVS reddit, non aliunde petendam eſſe vitæ mortisúe certitudinem, poſt latam abs Petro ſententiam, ſed habendum eſſe id quod ille iudicauerit, tamquam diuinum è cælo reſponſum, id quod ille egerit, tamquam ab ipſo Deo actum. Miſerè ſe hoc loco torquet Caluinus vt ſe expediat à primatu Romani Pontificis: nec habet demum aliud effugium, quàm vt dicat, *non ita prodigum Deum, ut ſuum honorem in apoſtatas transferat.* Nam quòd claues regni cælorum, & ligandi ſoluendiq́ue poteſtatem, ad Euangelij prædicationem refert, abſurdius eſt & à Chriſtianâ ſcholâ alienius, quàm vt egeat refutatione.

CAP. X.

Petrus audire abhorrens mortem & paßionem à IESV ſubeundam, ab eodem culpatur.

EOdem ferè tempore amoris ſum̃i illius quidem, ſed parũ conſiderati ſigna magiſtro diſcipulus oſtendit. Nam cùm idẽ diſcipulis, ſibi propediem Hieroſolymam eundũ eſſe exponeret, ibiq; fore, vt à pontificibus primisq; ciuitatis irrideretur, conſputaretur, verberaretur, interficeretur, ac tertio die abs inferis excitaretur, [a] Petrus reliquis ardẽtior & Domini amanti-

[a] Matth 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. Luc. 9. v. 22.

amantior libertate etiam ſumptâ ex re mox benè geſtâ & promiſſionibus acceptis, cæteris omnibus perturbatis & hæſitantibus, in medium proſilit, & apprehendit IESVM, quemadmodum ſolemus amicum, declarantem inopinatò abſurdi quid ſibi eſſe propoſitum aut perſuaſum, quaſi oblitum ſui, retinere ad mentemq; reuocare, & tamquam ne in ſuam ruat perniciem trahere, [b] *cæpit increpare illum*, corripere, reprehendere (non iurgantis auctoritate, ſed amantis ac miſerantis affectu) eò quòd diceret IESVS oportere ſe affligi & occidi, qui nihil huiuſmodi ipſe meruiſſet, indigna prorſus & aliena à Chriſto filio Dei, eoq; magis quòd ſe vltrò videretur velle obijcere periculis, quæ facilè poſſet cauere.

[b] *Matth. 16. v. 22. Marc. 8. v. 32.*

Quomodo Petrus IESVM increpauerit.

Petrus ex reuelatione nouerat dignitatem IESV: at cætera quæ abs IESV audiebat, non ad illam reuelationem, ſed humanæ cogitationis rationes referebat. Habebat hæc, vt inutilia immo nocentia, ita Chriſto indigna: credebat autem facilè poſſe vitari; IESVM enim impotenti quodam zelo ardere ac ferri aduerſus improbitatem ſeniorum, ſcribarum, ac ſacerdotum Ieroſolymitanorum, à quibus ſibi perſuaderet hæc ſe paſſurum: ignorans itaq; Petrus aduentus Chriſti rationem, Patris voluntatem, crucis neceſſitatem, redemptionis myſterium, dicit: *Abſit à te Domine*, vt dicas aut perſuadeas tibi, occidi te oportere, vel indigna pati, huiuſue rei periculis exponere, vtq; iuxta hanc opinionem res tuas inſtituas, *non erit*, non accidet, non continget *tibi* Chriſto filio Dei viui, quem Pater Deus non poteſt deſerere, quem decet honor omnis & gloria, quem deniq; manet regnum proſperrimumq; in omnes imperium, in ipsâ ſanctâ Ieroſolymorũ ciuitate, iuxta prophetarum oracula, auſpicandum, *non erit*, inquam *tibi hoc* pati multa & occidi, indignum eſt enim te.

Quo certior à Deo Patre factus fuerat Petrus de IESV maieſta-

maieſtate, eo indigniora illo hæc iudicabat: & quamquam addidiſſet IESVS ſe poſt dira omnia reſurrecturum, tamen, vel non intelligebat illud, vel præſtare cenſebat Petrus omninò non mori quàm à morte reſurgere. Itaq; quem teſtatus fuerat eſſe Chriſtum, incautus dehortatur à præſtando Chriſti officio ac munere, quòd grauis ac probroſa ſit carnis incommoditas ijs qui adhuc carnis infirmitudine laborant, nondum Spiritus ſancti viribus corroborati. Alia exempla ſui edidit Petrus poſt acceptum Spiritum.

Qui conuerſus dixit Petro vultu toto in Petrum à latere ſibi adſtantem manuq; ſe prehendentem verſo: *Vade poſt me*, abi à me, abſcede ſeu faceſſe hinc è conſpectu meo, *Satana*, id eſt, aduerſarie; eſt enim ſatanas per ſe nomen generale. Cæterùm non prorſus omninò his verbis diſcipulum à ſe reijcit IESVS: ſubaudit enim, ſi in hac perſtas ſententiâ, abſcede à me, non te agnoſco diſcipulum meum. Porrò eum qui ſe conabatur egregiè amicum præſtare, aduerſarium nominat & conſultorem peſſimum, quòd decreto Patris conſilio & promptitudini obediendi ſuæ aduerſaretur, à morte ferendâ auocans quem Pater mori ſtatuerat pro hominum ſalute. *Sapientia carnis*, ait Apoſtolus, *inimica eſt Deo*.

IESVS Petrum increpat.

Satanas quid nominis.

Rom. 8. v. 7.

Cæterùm hoc durior eſt iſta agnominatio, quòd ſatanæ nomen ex conſuetudine diabolo per antonomaſiam approprietur; tamquam obijceret IESVS, præpoſtero illo ſuo zelo, ipſum diaboli partes obire, idemq; cum diabolo moliri ne ſcilicet ſaluetur humanum genus; certè dum magiſtri curſum abrumpere conatus eſt, per eum non ſtetit quin & ſe & totum humanum genus æternâ ſalute imprudenter fraudauerit. Itaq; quantumuis amantis affectu Petrus ſuggeſſiſſet id quod ſibi viſum fuerat: voluit tamen durâ huiuſmodi increpatione ipſum IESVS refellere, non tam vt illius arro-

Digitized by Google

gantiam retunderet, qui miſeratione potiùs humanâ motus fuerat; quàm vt imprimeret menti illius, quanti res iſta referret, poſtquam tantâ deteſtatione dignus ſit cæteroqui amatus diſcipulus, qui rei illi ſe opponat: & declararet euidenter ſeriò ſe eſſe de ſuâ morte loquutum, nec temerè quidquam profudiſſe, verùm id quod & fieret breui & fieri oporteret, expediret atq; deceret.

Addit deinde Saluator, *Scandalum mihi es*, id eſt, ſcandaloes mihi, offenſionis ac ruinæ cauſa mihi es quod in te eſt, dum reuocare me conaris ab obedientiâ quam Deo Patri debeo, qui mortis pro hominum ſalute tolerandæ præceptū mihi condidit.

Qnomodo Chriſto ſcandalum obiici dicatur.

Chriſtus ſcandalum pati, cadere aut offendere, non poterat: ſed Petrus offendiculum ipſi obijciebat, & quod in ſe erat ruinam procurabat incautus. Quare ſi Chriſtus, cui lapſus periculum eſſe non poterat, blandientem Petrum tam acriter retudit: multo minùs nos, quos ſeduci facile eſt, vllam amicitiam quantumuis blandam ferre debemus, quæ nos ab obedientiâ diuinæ voluntatis auocat, iubetq; vt nobis ipſis parentes, non quæ Dei, ſed quæ hominum ſunt ſapiamus. Per ſe enim caro noſtra eò inclinat, vt neglectâ voluntate Dei nobis ipſis parcamus.

Dei ſapientiæ & humanæ diſcrimen.

Poſtea Iesvs totius mali fontem aperit dicens: *Quia non ſapis*, nō capis ſiue intellectu ſiue affectu; hac ſcilicet parte, quâ contra Dei conſilium conſulis carni meæ, *ea quæ Dei ſunt* ea quæ Deus probat. non probantur tibi ea quæ Deo probantur: deteſtaris ea quæ Deus iudicat congrua, vtilia, neceſſaria, mortem inprimis meam. Non eſt ſapientia illa tua Dei ſapientiæ conſentanea; *Sed ea quæ hominum* ſ. ſunt, ſapis, id eſt, ea quæ caro & ſanguis reuelant ſeu ſuggerunt. Sapientia hæc tua humana eſt, ea probans quæ homines probant,

bant, ea fugienda putans quæ homines refugiunt; quorum iudicium plerumque à Dei iudicio diſſonat. Aduerſa putas me non decere, & eo minùs quò magnificentiùs de me ſentis, quia hominum ſententiâ illa probroſa ſunt, occiſionem mei cenſes rem me indignam; quia homines mortem horreant & quoad eius fieri ab ipſis poteſt vitent: aliud eſt Dei iudicium, qui res aduerſas gloriæ ſeminaria mihi ſtatuit; mortem decreuit, mihi vtilem, hominibus neceſſariam. Similis eſt huic Apoſtoli ſententia: d *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, &c.* d 1. Cor. 2. v. 14.

Hic iam obſeruare licet, quî differat homo Dei gratiâ fultus à ſemetipſo ſibi relicto. Petrus qui à Patre inſpiratus agnouerat Chriſtum filium Dei viui: mox ſubtracto à Patre lumine ſapit ea quæ carnis & hominum ſunt; tantiſq; abs IESV verbis caſtigatur, quantis priùs fuerat laudatus. Cæterùm vſque adeò nihil obfuit caſtigatio iſta prioribus laudibus, vt profuerit quam maximè, & idoneum tandem reddiderit Petrum, cui promiſſa (non enim erant illa hactenus niſi promiſſa) præſtarentur: quando non iam iniurias mortemue ſuadebat refugere, ſed *abibat ipſe à conſpectu concilij, gaudens quòd dignus habitus eſſet pro nomine* IESV *contumeliam pati.* e

Homo Dei gratia fultus quantum differat à ſemetipſo ſibi relicto.

e Act. 5. v. 41.

CAP. XI.

Octauo pòſt die à confeßione Petri, transfigurat ſe IESVS in monte, præbens diſcipulis ſuis ſpecimen gloriæ quam à cruce exſpectaret, & teſtimonium accipit à Moſe, Elia, ac Patre.

a Matt. 17. ℣. 1. Marc. 9. ℣. 2. Luc. 9. ℣. 28.

Cur IESVS tres hos diſcipulos ſecum aſſumpſerit.

ET poſt dies ſex aſſumit IESVS *Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum.* a

Non aſſumpſit omnes, ne res diuulgaretur priuſquam id expediret (certè filium perditionis Iudam non congruebat adeſſe) tres autem aſſumpſit, quot poterant ſufficere ad ferendum teſtimonium quando diuulgari expediret (ternarius enim numerus Legis cenſurâ ad rem probandam idoneus pronunciatur b) nempe *Petrum*, quem ſtatuerat præficere Eccleſiæ ſuæ, ſuo terras relinquentis loco: qui vt recenti memoriâ dederat ipſi IESV teſtimonium filij Dei viui, doctus occultâ Patris inſpiratione; ita congruum erat vt ipſe ſuis oculis videret IESVM indutum gloriâ decenti filium Dei viui, & audiret auribus diſertam Dei Patris filium ſuum agnoſcentis vocem. Deinde *Iacobum* filium Zebedæi, quem Maiorem vocamus, qui primus Apoſtolorum pro Christo perditurus erat animam ſuam, c præ reliquis proinde animandus ſpectaculo gloriæ Christi. Tertiò *Ioannem*, qui vt erat reliquis omnibus Apoſtolis futurus longæuior, ita ipſum congruebat teſtem eſſe viſæ gloriæ IESV.

b Deut. 19. ℣. 15.

c Act. 12. ℣. 2.

Hos iterum tres ſolos nuper ad ſpectandam puellæ à morte ſuſcitationem admiſerat, d coram ſolis his tribus agonem cum mortis imminentis horrore iniijt, e deniq; hos tres teſtes eſſe voluit eorum omnium, quæ geſſit, quippe quibus à principio ad ſe vocatis, f ad maiora ſtatuerat vti; id quod nouis illis nominibus quæ his tribus impoſuit quando creauit Apoſtolos g ſatis declarauit. Cæterùm vulgaris opinio eſt fuiſſe montem Thabor, in quem IESVS diſcipulos duxit. Atqui Thabor mediâ in Galilæa ſitus fuit, in campo magno Galilææ: conſtat autem extra Galilæam rem iſtam geſtam fuiſſe, ex eo quòd in fine hiſtoriæ dicat Marcus Euangeliſta, Matthæo ſuffragante, IESVM eiusq; diſcipulos inde profectos, eſſe

d Mar. 5. ℣. 37.
e Matth. 26. ℣. 37.
f Matth. 4. ℣. 19. 20.
g Marc. 3. ℣. 16. 17.

Mons Thabor vbi ſitus.

Digitized by Google

eſſe prætergreſſos Galilæam.[b] Veriſimile itaque fit, ſalvo meliori judicio, vt ſuperiora, ita & hæc conſequentia, in partibus Cæſareæ Philippi contigiſſe, [i] illicque egiſſe Ieſum octo plus minus diebus, [k] quibus in partibus, inter alios, Libanus mons erat, ſacris literis celebratiſſimus, de quo Iſaias: [l] *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: ipſi videbunt Gloriam Domini & decorem Dei noſtri.*

b Marc. 8. v. 29.
i Matth. 16. v. 13.
k Luc. 9. v. 28 37.
l Cap. 35 v. 2.

Veriſimilius videtur IESVM in monte Libano transfiguratum.

Et licet inſignis altitudinis fuerit mons Thabor: ſed nō æquiparandus Libano, quo in terra repromiſſionis nihil eſſe excelſius, teſtatur Hieronymus in caput vndecimum Zachariæ: qui & ibi altiorem ſe tollit, vbi Cæſareæ Philippi imminet, quod Adrichonij theatrum notat. Loci celſitudine, cæleſtem rei celſitudinem comendare, Saluatoris mens fuit.

IESVS qualiter transfiguratus.

Dum verò ipſius mens tota Deo ſe immergeret, vultus eius cæpit ſplendeſcere admirabili pulchritudine; Nam faciei, quæ præ cæteris corporis partibus eſt animi index, magna fuit IESV inter homines verſanti tum grauitas tum maieſtas: ſed miris modis ea aucta eſt acceſſione beati huius fulgoris, non quouis enim ſplendore illuſtrata eſt, ſed tamquam ſolari, aureo illo, immenſo, atque ineffabili, ita tamen temperato, vt non auferret ſpectatoribus diſcipulis conſpectum natiuæ effigiei. Fulſit IESV facies claritate tum magnificentiore tum oculis gratiore quàm ſit vlla huius mundi, etiam ſolaris. Hæc eſt enim ſcripturæ conſuetudo, vt deſcribens excellentiam eius quod ſupra naturam eſt, vtatur comparatione eius quod ſecundùm naturam ſimili qualitate excellere reperitur.

Veſtimenta eius quomodo alba facta.

Ne verò putes ſolam ſplendore huiuſmodi affectam faciem fuiſſe (quamquam illa inprimis fuerit, quæ ſummum digniſſimumq; in corpore obtinet locum) veſtimenta eius facta ſunt alba, nimirum, reliqui corporis ſplendore, pene-

trante ac tingente ea, quibus tegebatur, veſtimenta. Nam lux in ſuo fonte, ſole inquam aut igne, nullo interpoſito velamine, viſa, aurea fuluaq; apparet; transparens autem per velamen ſeu rem mediam, aut viſa in re alterâ excipiente à fonte, alba apparet ſenſibus. Hac ratione luna alba videtur, & ipſe quoq; ſol obiectis nubibus. Eadem ratione veſtimenta IESV alba ſunt viſa (facies verò fulua aureaq;) *ſicut nix*, id eſt, albiſſima ſunt reddita ac ſplendidiſſima, quemadmodum niue nihil eſt in rebus naturæ albius, nec proinde ſplendidius; omnium enim colorum ſplendidiſſimus eſt albus.

Quali itaq; ſplendore corporis eſt in regno ſuo, & ad iudicandum venturus eſt IESVS, quali rurſus ornaturus eſt corpora ſectatorum ſuorum (*reformabit enim* corpus humilitatis noſtræ, *configuratum* corpori claritatis ſuæ.[m]) talem iam ad breue tempus induit diſcipuliſq; monſtrauit; non æqualem tamen, ſed mortalium diſcipulorum captui accommodatum. Neq; enim fuit hæc ſolida cæleſtis gloriæ exhibitio: ſed ſymbolis quæ carnis modo congruerent, ex parte geſtandum præbuit, quod totum percipi nondum poterat; nam à morte demum, *videbimus eum ſicuti eſt.*[n]

m Philip. 3. v. 21.

n 1 Ioan 3 v. 2.

Splendor IESV vnde.

o Exod. 34. v. 29.

Porrò is ſplendor, non foris IESV acceſſit, quemadmodum Moſi *ex conſortio ſermonis Domini*,[o] ſed ex diuina ipſius natura in humanam, ex anima in corpus profluxit, beatitudine ea qua diuina ipſius natura per ſe, rurſus ea qua anima ipſius ex diuinæ naturæ viſione beata erat, in corpus exundante; interna inquam virtute & gloria cum externo habitu communicata.

Docemur itaque, ex interna beatitudine externam oriri, contrà quàm mundus opinatur: & ipſi IESV quamdiu in forma ſerui verſatus eſt in hoc mundo, nihil fuiſſe detractũ, quia ſponte ſe exinanierit, ſub carnis infirmitate maieſtatem occultans.

Digitized by Google

Petrus verò & qui cum illo erant, grauati erant ſomno [f] ita vt dormirent. Hinc veriſimile fit nocte contigiſſe transfigurationem IESV. IESV ſe ad orationem componenti iunxerunt ſe ipſos Apoſtoli: dum ſimul orarent Deum, obſeruarunt Apoſtoli vultum veſtimentaq; IESV ſplendeſcere, ſed IESV orationem in multum tempus extendente, diſcipuli, vt nox erat, & ſomnus premebat oculos feſſorum laboribus diurnis inciderunt in ſomnum.

[f] Luc 9. v. 32.

Obſerua hinc Apoſtolorum infirmitatem, ſomno ſeruientium dum vacaret IESVS orationi: hinc IESV benignitatem, non abijcientis ſed tolerantis fouentiſq; infirmos, donec paulatim eos refingat vt perfectiores euadant. Interea acceſſerunt Moſes & Elias: quos diſcipuli viderunt experrecti, & audierunt colloquentes cũ IESV de exceſſu ſeu exodo ipſius. Nam *euigilantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros qui ſtabant cum illo*. Viderunt autem illos & ſimul gloriam magnificam qua ornati erant, magnam enim auctoritatem præ ſe ferebant in hoc ſpectaculo, ita vt planè agnoſceretur, alter legiſlator à Deo cõſtitutus magna cum dignitate, alter legis Interpres & prophetico ſpiritu plenus, ad docendũ inſtructus, magna animi conſtantia. Ille à mille quingentis annis mortuus, hic à mille ex hominibus raptus. IESVS vitæ mortiſq; Dominus huc illos ſuæ nutu voluntatis euocauerat, partim vt ſpectaculum ſua præſentia ornarent, partim vt teſtimonium perhiberent veritati; illi mortuo, reddito ad breue tempus corpore; hoc, ex eo in quem curru igneo auectus fuerat loco, adeſſe iuſſo. Decebat, IESV cæleſtem gloriam induto, & futuri aduentus ſui ad iudicium imaginem exhibenti, adeſſe aliquod cæleſte conſortium: vt porrò robur adderetur diſcipulorum de IESV fidei, nulli congruentiùs accerſiri poterant quàm

Apoſtoli cur ſomno oppreſſi.

Moſes & Elias quomodo apparuerint.

Congruentiſſimi Chriſti teſtes, & quare?

quàm duo iſti, Moſes & Elias; tum quòd ipſi futuri eſſent præcurſores Chriſti ad Iudicium; Elias omnium, Moſes quorumdam opinione; tùm quòd plurimi fierent ab omnibus Iudæis. Moſes enim Legis promulgator, qui ſeueriſſimè in transgreſſores animaduerterat, Elias autem propheta maximus, qui pro Dei honore & gloria magno zelo decertauerat, ambo, viſa in monte Horeb Dei gloria, & præclaris rebus geſtis, cæteris omnibus prophetis ſanctisq; viris illuſtriores; præſentes ad ornamentum ſimul & obſequium IESV, reipſa declararunt, non Legis transgreſſorem aut blaſphemum, rapientem æqualitatem Dei, eſſe IESVM; quæ calumnia erat Scribarum & Phariſæorum; ſed nec Eliam aut aliquem veterum prophetarum eſſe IESVM, quæ vulgi erat opinio; ſed Eliæ & cæterorum omnium veterum prophetarum eſſe dominum, adeoq; Chriſtum filium Dei viui; qualem Petrus cõfeſſus fuerat, quem, Lex in Moſe vt Legislatore repræſentata, varijs figuris adumbrarit; Prophetæ (inter quos Elias, etſi non ſcriptis relictis, rebus tamen geſtis poſt Moſen proximus eminebat, incomparabilis legum vindex atq; aſſertor) vaticinijs ſuis deſcripſerint. Non tam itaq; ad priuatas Moſis & Eliæ perſonas apparitio iſta referenda eſt, quàm ad legationem, cùm eam quæ olim ipſis iniuncta fuerat, tum eam quę in fine ſæculi iniungenda ſit.

Ex quibus ſignis Apoſtoli Moſen & Eliam agnouerint.

Quærat quis, vnde Apoſtolis notitia Moſis & Eliæ quos numquam conſpexerant? reſponſio facilis eſt, cùm Deus in medium eos produceret, notas etiam & ſigna dediſſe quibus innoteſcerent; ſiue illa fuerint monimenta aliqua rerum nobiliſſimarum ab ipſis geſtarum, ſiue habitus ipſorum ſacris literis deſcriptus, *f* ſiue verba vel ipſorum vel IESV de rebus olim ab ipſis geſtis, ſiue deniq; alia. Nam nec veri diſſimilis eſt illorum opinio, qui putant Moſen & Eliam cum Apoſtolis

f 4. Reg. 1. 9. 18.

eſſe

eſſe loquutos. Loquebantur autem cum IESV tamquam cum maiore ſcilicet atq; eo ipſo de quo ipſi vaticinati fuerant vt prænuntij. Vterque rationes muneris à ſe quondam obiti cum IESV communicabat tamquam illius miniſter & teſtis, ita vt præſentibus Apoſtolis ſignificaretur aperte, illos IESV cauſâ legatione olim functos fuiſſe, ipſorumq; miniſterij finem IESVM Chriſtum fuiſſe: namque ille, vt diuini negotij pontifex ſummus, ab vtroque obſeruabatur. Quod colloqu. ipſorum cũ Ieſu fuerit.

Itaque colloquium Moſis & Eliæ cum IESV, eſt conſenſus Legis & prophetarum cum IESV eiuſq; Euangelio, [r]oportebat enim Apoſtolos confirmari non eſſe nouam religionem quam IESVS prædicabat, ſed teſtatam in Lege & prophetis, quibus duobus conſueuit Saluator totam ipſam veterem Scripturam intelligere. Hinc itaque facile eſt intelligere, quâ de re Moſes & Elias colloquuti fuerint cum IESV; cùm tamquam teſtes miſſi à Deo declarare voluerint IESVM Legis & prophetarum finem ſcopumq; eſſe. [r] *Rom. 3. v. 21.*

Porrò Lucas [s] ſingulariter colloquutos fuiſſe ait de eâ quã breuî morte ſuâ confecturus erat expeditione, redempto eductoq; humano genere è ſeruitute dæmonis & peccati in libertatem & hereditatem filiorũ Dei, morte reſurrectioneque ſuâ quemadmodùm cùm Moſes in huius rei figuram eduxerat populum Iſrael ex Pharaonis atq; Ægypti ſeruitute per mare rubrũ in libertatem hereditatemq; populi Dei. *Decebat*, ait Apoſtolus, [t] *Deum ut multos filios in gloriam adduceret, auctorem ſalutis eorum per paſſiones conſummare: qui unam offerens pro peccatis hoſtiam, corpus inquam ſuum, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, æternâ redemptione inuenta.* IESVM cum Moſe, redemptionem noſtri per mortem IESV cum egreſſu Iſrael ex Ægypto per mare, requiem vitamq; æternam [s] *Cap. 9. v. 31.* [t] *Hebr. 2. v. 9. 10. v. 12.*

Digitized by Google

cum requie ſiue terrâ promiſsâ varijs locis confert Apoſtolus, vt veritatem cum figura. a

a Heb. 3. & 4. 1 Cor. 10.

Moſes quomodo IESVM alloquutus?

Potuit itaq; Moſes, Eliâ ſuffragante, IESVM alloquutus fuiſſe hunc in modum: Quod ego ſeruus, Dei iuſſu operaq; in figurâ olim in Ægypto geſſi: id tu filius, Patre adſpirante, re ipsâ proximè in Ieruſalem præſtiturus es; mortem patiens primùm, mox rediuiuus mortem calcans: vt ſcilicet eductũ humanum genus è delictis ſuis aſſeras libertati iuſtitiæ vitæq; æternæ, quemadmodum ego eductum Iſrael è domo ſeruitutis corporalis aſſerui in libertatem corporalem & promptum introitum in terram promiſſam. Age igitur, exhibe reipsâ id quod Deo agente prænunciauimus nos prophetæ tui, tùm hac alijsq; ſimilibus figuris, tùm varijs oraculis: omnes enim id exſpectamus & ſummis votis deſideramus. Nam donec tu pro hominum peccatis teipſum Deo Patri ſacrificium in odorem ſuauitatis obtuleris, & deuictis hoſtibus noſtris reſumptoq; corpore penetratos cælos nobis aperueris, manemus omnes in tenebris, exſules regni lucis, in quo Dei facies, noſtra beatitudo, videri à nobis queat. At ſi tu ſemel mediatoris partes, teipſum pro nobis tradens, obieris, non ſolùm nos tecum ex inferno in cælum euehes, verumetiam innumerabilem multitudinem electorum Dei, quam mox tua mors colliget, è peccatis in iuſtitiam, & è mundi miſerijs rectâ in cæleſtis regni beatitudinem educes, certâ etiam reſurrectionis ſpe tam illis quàm nobis relictâ.

Porrò non aliò pertinebat colloquium IESV cum Moſe & Elia, quàm ad diſcipulorum eruditionem: id quod notandum diligenter eſt, vt obſerues, quomodo IESVS ita ſemper ſtuduerit docere diſcipulos ſuos dignitatem ſuam, vt non ignorarent humilitatem; & vice verſa ita humilitatem, vt non obliui-

obliuiſcerentur dignitatem, quòd perfici non poſſet redemptio noſtri ſi deeſſet altera.

Probata Petri ſententia quòd ipſe eſſet Chriſtus filius Dei viui, ne diſcipuli procul animum reuocarent ab omni opinione ferendæ ipſi aduerſitatis, prædicit paſſionem mortemq; ſuam, atq; adeò conſtanter, vt non tantùm ſibi, ſed & diſcipulis ſuis omnibus ſimilia ſuo exemplo ferenda prænunciet. At ne tanta aſſeueratio obeundæ mortis, rurſus in dubium adduceret fidem illorum de ipſius diuinitate, promittit appariturum ſe aliquando orbi paterna gloria illuſtrem iudicem viuorum & mortuorum, cuius gloriæ etiam breuì coram electis teſtibus ſpecimen edere pollicetur. Ordo & cauſa totius huius hiſtoriæ.

Quando iam illud edit, ne rurſus teſtes illi abrepti ſpectatæ gloriæ abundantia omnem mortis exſpectationem abijcerent, iubet ſpectaculum gloriæ imminentis mortis teſtificatione miſceri, cùm vt mortis mentio voluptatis magnitudinem temperaret, tum vt diſcipuli viſuri obeuntem mortē, recordarentur eius quam vidiſſent gloriæ.

Et factum eſt, cum diſcederent ab illo, x cùm pararent abitū; valedicentes haud dubiè omnemq; ipſi auctoritatem cedentes, precati vt ea vſus redemptoris breuì munus ſtrenuè impleret, *Petrus* captus ineffabili dulcedine magnifici huius ſpectaculi, nec ſatis ſui potens, veritus ne illis diſcedentibus intercideret ſuaue illud beatumq; ſpectaculum, in verba erumpens *dixit ad* IESVM: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe*, vbi ſcilicet frui datur adſpectu gloriæ tuæ ac ſanctorum. Non recedant obſecro Moſes & Elias, ſed *ſi vis* (ſuggerit conſilium, ſed prudentior quàm aliquando, ſubijcit illud correctioni Domini) *faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum* (præponit IESVM Petrus, iam doctus IESVM & Moſe & Elia & prophetis

x Luc. 9. V. 33.

Petrus dulcedine huius ſpectaculi captus, quale conſilium IESV ſuggeſſerit.

Digitized by Google

omnibus maiorem, adeoq; filium Dei viui eſſe.) *Moſi unum, & Eliæ unum*, vt liceat hîc ſedem figere & perpetuò manere, perpetuâ frui viſione gloriæ tuæ ac ſanctorum, nec reuerti ad mundum, tumultibus, timoribus, miſerijs plenum.

Nihil de ſe dicit & ſocijs, arbitratus ſi modò IESV & ſanctis patribus manere illic perſuaſiſſet (nihil autem ad manendum deſiderari aliud iudicabat, quàm tabernacula aduerſus ſolis ardores aeriſq; iniurias exſtructa, aliarum rerum omnium oblitus) ſe ſibi & ſocijs, ſi opus foret, facilè de tabernaculo proſpecturum.

Atqui ſcire oportebat Petrum, ijs quos cæleſtis gloria veſtit & protegit, nullis opus eſſe tabernaculis manufactis ac caducis; ſibi verò non quærendum eſſe triumphum ante victoriam, aut coronam ante certamen, ſed nec hanc quæ iam ipſi cernenda dabatur, eam eſſe gloriam in cuius viſione eſſet conquieſcendum; vt verò ea fuiſſet, non ſibi ſoli & paucis ſocijs, retinendum fuiſſe Chriſtum in monte, qui à Patre deſtinatus erat Saluator mundi, cui proinde Ieroſolyma abeundum erat mundi redimendi regniq; parandi cauſâ.

Præpoſterum itaque fuit Petri votum, errauitq; quòd finem viſionis non teneret, æternam optans eam quæ temporarij ſpeciminis loco oſtenſa erat gloriam: indicio tamen hoc ardoris ſui dedit intelligendum, quàm beata futura ſit æterna explicatæ Dei & Chriſti gloriæ viſio in angelorum hominumq; ſanctorum omnium conſortio, quem viſa ad horam humanitas Chriſti transfigurata in ſocietate duorum è ſanctorum patrum choro (gutta vna immenſo illi mari comparata) tanta affecit dulcedine, vt rebus alijs omnibus ſpretis ſola illius fruitio ipſi ſufficeret. Hoc porrò diſcrimen eſt nouæ Legis à veteri, in qua contrà omninò quàm hîc, terri-

bilem

Digitized by Google

bilem ſe exhibebat Deus, vſque adeò vt populus ille refugeret viſionem colloquiumq; Domini. y

Nullo reſponſo dignatus eſt IESVS propoſitionem multis modis incongruam: quare & noua re ſubmiſſa tamquam abrupit Deus Pater Petri ſermonem. Nam *adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit*, operuit, cinxitq; inſtar vmbraculi *eos* qui præſentes aderant, IESVM, Moſen, Eliam, & tres diſcipulos (& Moſen quidem atq; Eliam abſtulit ex oculis diſcipulorum) nam illi quidem apud ſe mutuò erant, nubes autem non quælibet erat, ſed lata profundaq; quod Chryſoſtomus ait, ab ipſo cælo ad terram vſque haud dubium diffuſa.

y Exod. 20 v. 18 19. Deut. 5. v. 24. 18. v. 16.

Nubes lucida obumbrans eos.

Porrò Dei cum mortalibus aliquando propiùs ac familiariùs agentis vel colloquentis, ſedes eſſe ſolent nubes z tamquam è ſumma ſede ſua, cælo, vbi lucem habitat inacceſſibilem, ad nubes vſque ſe demittentis, quòd imbecillitatis humanæ captus & intuitus maioris lucis & ſplendidioris gloriæ vim ferre nequeat. Quare Pſalmographus nubem vocat *aſcenſum* ſeu vehiculum *Dei*; a Iob *tentorium* ſeu *tabernaculum Dei*. b Neque verò præſentiæ ſolùm Dei, ſed & efficientiæ, virtutis, & gloriæ ſpectaculum, in nubibus eſſe ſolet. c Eſt itaque & hoc loco nubes apparens, cùm præſentiæ Dei Patris indicium, tum magnificæ gloriæ illius, vt D. Petrus loquitur, viſibile exemplar. neque enim abſque gloria Pater Filio gloriæ ſuæ ſpecimen edenti teſtimonium attulit. nam & ideò fuit *nubes* & ea quidem *lucida* ſeu clara.

Nubes Dei ſedes.

z Exod. 16 v. 10. 40 v. 32. 33. 34 35. 36 Num. 11. v. 25.

a Pſal. 103. v. 3. b c 36. v. 29. c Pſal. 67 v. 35 88. v. 7.

Olim cùm ferretur lex vetus, apparuit Deus per nubem caliginoſam, d quippe vmbras proferens futurorum bonorum, & metuendum ſe declarans: iam cùm demonſtrat nouæ legis latorem, apparet per nubem lucidam, exhibitionis rei ipſius claræq; veritatis, amoris rurſus & beneuolentiæ argumento.

d Exod. 19 v. 9. 20 v. 21.

Digitized by Google

Vox è cœlo audita qualis? e 2. Epiſt. 1. v. 18. Admirabilibus admirabiles res ſuccedunt; nam *ecce vox* audita eſt, vox inquam maieſtatis plena *de nube*, è ſummo illius nubis, adeoq; è cælo ipſo (quod Petrus ait [e]) profecta, Deo Patre faciente *dicens* Apoſtolis qui ſoli aderant, præter IESVM (iam enim diſceſſerant Moſes & Elias) & ſoli docendi erant diuinitatem ac magiſterium IESV: *Hic* IESVS, (cuius gloriæ diuinitatiſq; latentis ſpecimen vobis monſtratur, quem iam vidiſtis à Moſe & Eliâ, inter omnes prophetas ſummis, probari obſeruari, dominumq; agnoſci) *eſt Filius meus dilectus* filius Dei viui, qualem nuper confeſſi eſtis, *in quo mihi benè complacui*, quo verbo Pater IESVM mediatorem eſſe teſtatur, in quo *mundum reconciliet ſibi*. Hæc eſt autem perfectio, hoc culmen gloriæ IESV, quòd Deus agnoſcat teſteturq; ipſum eſſe filium ſuum. *Accipiens*, ait Petrus, *f à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum*, &c. Hac gloria ornatus venturus eſt iudicare orbem terræ & regnabit in ſecula ſeculorum. Hanc deniq; gloriam reliqua omnis gloria & bona omnia cõſequuntur. Subdit vltimò hæc verba: *ipſum audite* quem doctorem & legiſlatorem vobis atq; humano generi dedi (hac enim parte doctorem Eccleſiæ conſtituit) propiùs longè & familiariùs per ipſum vobis loquens quàm olim Patribus per Prophetas. Ipſi, quæcumq; docuerit aut mandauerit, etiamſi ſuperent captum mentis veſtræ, etiamſi humano iudicio abſurda aut carni inimica, fidem adhibete atq; obedite, non aliter ac mihi; ipſi inquam, non alteri cuiuis qui ab eo vel tantillum diſſideat; cui iam vidiſtis Legem & prophetas cedere ſuo munere defunctos; in quo vno exſtant omnia & plenè & clarè, quorum non erat in Lege & Prophetis niſi vmbra obſcura; qui denique eos qui ipſum audierint ad talem gloriam perducet quali vos iam ipſum vidiſtis ornatum.

f 2. Epiſt. 1. v. 17.

Alluſio

Digitized by Google

Alluſio autem hîc eſſe videtur ad prophetiam Moſis: *g* *Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies;* &c. *g Deut 18.15.*

Et audientes diſcipuli ſ. vocem maieſtatis diuinæ plenam *ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè,* magno timore correpti fuerunt. Ea eſt enim naturæ noſtræ infirmitas, vt expaueſcant auditâ voce Dei, nec ferant ſiue oculis ſiue auribus maieſtatis illius præſentiam. *Quid eſt enim omnis caro, ut audiat vocem Dei viuentis;* dicebant illi. *b* Cæterùm diſcipulos iſtos Iesv non ita peruaſit aut turbauit timor, quin mente ſerenâ clarè intellexerint quid vox illa ferret, Petro teſte. *i*

Apoſtoli timore perculſi caduut in facies.

b Deut. 5.26.

i 2. Epiſt. 1.18.

Et acceſſit Iesvs *& tetigit eos; dixitq; eis: Surgite & nolite timere:* q. d. Non eſt hæc vox irati Dei, ſed placati, beneuoleque docentis atq; hortantis vos, eo fine vt ſaluemini: non eſt igitur quod timeatis. Non autem ſolo ſermone diſcipulos animat, ſed & tactu confirmat, vt omnem diſcutiat metum, ne fortè ſpectrum ſuſpicentur.

Leuantes autem oculos ſuos neminem viderunt niſi ſolum Iesvm; ita vt hac ratione certo certiores redditi ſint, voce illâ non alium quàm Iesvm ipſum declaratum eſſe Filium Dei & præceptorem hominum; præter hoc quod pluribus alijs argumentis hoc idem manifeſtum ipſis eſſet. Nam quamquam diſcipuli antè quam Dei voce in terram proſternerentur vidiſſent Moſen atq; Eliam diſcedentes, nube illos ex oculis auferente: tamen mox vt oculos auſi fuerunt ſuſtollere, circumſpexerunt an nuſquam iterùm illi adeſſent. Cæterùm non tantùm illos ampliùs non viderunt; ſed neque nubem, neque gloriam vultus aut veſtium Iesv. Voce enim audita mox diſparuit & nubes, & Iesvs reſumptâ priſtinâ faciei ac veſtimentorum ſpecie quali venerat

in

in montem, propiùs accedens iuſſit ſurgere diſcipulos.

Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Iesvs *dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.*

Prohibet alijs referri quid vidiſſent, quia vel incredibile foret pro rei magnitudine, vel poſt tantam gloriam ſequens crux apud rudes animos ſcandalum faceret irreparabile. Id tamen quod iam alijs noluit dici, iam voluit his tribus oſtendere, primùm vt ſolueret promiſſum factum: k deinde vt hi capita arctiùs ipſi inhærerent, illorumq; exemplo cæteri diſcipuli; cumq; viſuri ipſum eſſent mortem obeuntem, non prorſus deijceret ipſos infirmitas quaſi neceſſitate aut vi pati cogeretur, qui declaratus cælitùs Dei filius, nihilo difficiliùs poſſet corpus ſuum à morte eximere, quàm particeps reddere cæleſtis gloriæ: denique & cùm ſuo tempore diſcipuli iſti prædicaturi rem eſſent, euidens fieret, etiam quo tempore ſemetipſum Iesvs exinaniuit, deitatem gloriamq;, licet abſcondita eſſet carnis velo, integram ipſi ſtetiſſe.

Cur Iesvs coram his diſcipulis transfigurari voluerit. ?

k Matth. 16. v. 28.

Non autem vult Iesvs ſepulta manere miracula ſua, ſed non vult ea manifeſta reddi ante tempus opportunum, quando cum fructu queant aperiri. Poſt reſurrectionem, quando nihil amplius ipſi reſtare debebat aduerſi ſubeundum, imò quando aliud etiam luculentius diſcipulis ſuis omnibus editurus erat ſuæ gloriæ ſpecimen, reſurgens primùm à morte, mox etiam cælos ipſos aſcendens & rebus ipſis Deo in cælis ſe adeſſe declarans, tunc demùm id quod iam in monte ſecreſſum geſtum eſt, alijs dictum, & fidem inuenturum erat & fructum, vt certò conſtaret, Iesvm Dei filium, ita factum fuiſſe id quod non erat, vt numquam deſierit eſſe quod fuerat, ſponte mortem obijſſe, in Dei Patris gloriam receptum eſſe, eadem cum gloriâ appariturum mundo iudicem, ſimili gloriâ affecturũ electos ſuos qui ipſius exemplo ſeipſos hîc abnegauerint, crucem tulerint, & perdiderint animas ſuas.

Cur poſt reſurrectionem ſuam primùm reuelari voluerit transfigurationẽ hanc?

Cap.

Digitized by Google

CAP. XII.

IESVS pro Petro, ſicut pro ſeipſo, iuſſit didrachmum ſolui exactoribus.

IESVS parans migrationem è Galilæâ in Iudæam, noluit præterire Capharnaum ciuitatem ſuam, in quâ hactenus domicilium habebat,[a] fortè vt temporaria negotia neceſſitatis humanæ, diſponeret ante abitum; nec enim quidquã iam legitur publicè Capharnai egiſſe, vt qui feſtinaret aliò nec vellet quemquam ſcire.[b]

a Matth. 4. ℣. 13. 9. ℣. 1. 4. ℣. 1.

b Marc. 9. ℣. 30.

Et cùm venissent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma?[c] templo ſacroſancto Deoq; debita? erat quotannis vnum à viris ſingulis debitum. Modeſtè exigunt ſolutionem; loquuntur autem tamquam qui neſciant an ſoleat ſoluere: & credi quidem poſſit quòd id neſcierint, ſiue quòd non ijdem eſſent collectores qui fuerant annis ſuperioribus, ſiue quòd non ita diu, triennium nondum, eſſet quòd habitationem ſuam IESVS hanc in ciuitatem tranſtuliſſet,[d] (nam cùm Nazarethi habitaret, Nazarethi haud dubium & exigebatur didrachmum & ſoluebatur) ſed dubitandi præcipua cauſa fuiſſe videtur, quòd nouus ipſe doctor non ſatis æquum præbere ſe putaretur Legi & templo, iudicio Scribarum & Sacerdotum (quorum erant iſti procul dubio ſtudioſi) ac proinde fieri poſſe, quòd vel ſentiret non eſſe ſoluendum templo didrachmum, vel ſe priuilegio aliquo eximeret. *Ait, Etiam.* i. ſoluit ſiue conſueuit ſoluere; *factus* enim *ſub lege*[e] ſimilem ſe reddidit cæteris omni ex parte *absque peccato.*[f] Nouerat itaq; Petrus & conſuetudinem & voluntatem magiſtri.

A Petro didrachmi ſolutio exigitur.

c Matth. 17. ℣. 24.

d Matth. 4. ℣. 13.

e Gal. 4. ℣. 4.

f Heb. 4. ℣. 15.

Eſt autem didrachmum propriè pondus duarum drach-

Didrachmum quid? itẽ quid drachma.

 marum:

Digitized by Google

marum: drachma porrò octauâ parte vnciæ definitur. Transfertur verò didrachmi nomen, ad genus nummi ſignificandum, didrachmi pondere cuſum, vt ſolent ponderum nomina ad numiſmata eius ponderis transferri. didrachmum itaq; argenteum (de argenteo enim hîc quæſtio eſt, non de aureo) eiuſdem pretij ſit cuius denarius maior, valens, iuxta hodiernum argenti pretium, decem aſſibus, ſtuferis, ſiue patardis, cum dimidio, noſtratis monetæ, id eſt, duobus regalibus hiſpanicis.

Item de ſiclo.

In veteribus libris vocatur dimidium ſicli: nam ſiclum tetradrachmum, id eſt, quatuor drachmarum fuiſſe, Ioſephus tertij Antiquitatum capite nono, & poſt eum Hieronymus, & ex neotericis Arias Montanus alijq; ſcribunt, citra diſtinctionem vllam ſicli ſanctuarij à ſiclo prophano.

Fuerat olim lege cautum, vt quotieſcunq; recenſeri contingeret filios Iſraël, omnes qui in cenſum venirent, ætatis inquam viginti annorum aut maioris, ſoluerent ſinguli dimidium ſiclum, tam pauperes, quàm diuites, pretium redemptionis vitæ ſuæ, ne recenſiti interficerentur: qui quidem dimidius ſiclus à ſingulis collectus, iuſſus fuerat tradi in vſus tabernaculi teſtimonij. *g* Ex hac lege nata eſt conſuetudo, quò tutò poſſet recenſeri populus quoties viſum eſſet, abſq; periculo interfectionis qualis fuit Dauidis tempore, *h* quò etiam ſubueniretur ſacris oneribus templi non minimis certè, vt quotannis ſinguli illius ætatis dimidium ſiclum, id eſt, didrachmum, penderent in uſus templi. Cuius conſuetudinis nonnihil intermiſſæ reſtauratio præcipitur à Rege Ioâ. *i* Eiuſdem conſuetudinis Ioſephus meminit, *k* eamq; ad Imperatoris Veſpaſiani vſq; tempora perſeueraſſe, teſtatur dum ſcribit, *l* Imperatorem illum, templo iam deuaſtato, Iudæis diſperſis, vbicunq; terrarum degerent, præcepiſſe, vt illud didrachmi

g Exod. 30. v. 12. 13. 14. 15. 16.

h 2. Reg. 24. v. 15.

i 2. Paralip 24 v. 5. 6. 7. 8. 9.

k Antiq. lib. 18 cap. 12.

l lib 7 de bello Iudaic. c 26.

drachmi tributum quod templo Ieroſolymorũ pendere ſoliti fuerant, in Capitolium quotannis conferrent. De illo igitur ſacro tributo, quod viritim Iudæi templo ac proinde Deo annuè ſoluere conſueuerant, eſt hîc quæſtio, ſuffragantibus huic expoſitioni Hilario & Ambroſio; itaq; intelligendum, *Didrachma* in vſus templi quotannis à viris Iudæis debita.

Tributum didrachmi Templo Ieroſol. debitum in Capitolium conferri iuſſum à Veſp.

Et cum intraſſet Petrus *in domum* in quâ IESVS erat, conuenturus eum de eâ quæ petebatur didrachmi ſolutione, *præuenit eum* IESVS præoccupauit, prior eſt Petro loquutus eâ de re quâ Petrus in animo habebat ipſi loqui. Quâ re præparauit Petri animum ad doctrinam proximam, declarans ſe Filium Dei, Deum quem nihil lateret, vt qui noſſet ea quæ geſta eſſent inter abſentes, quidq; animo voluetet Petrus vt ipſi proponeret. Dixit itaque: *Quid tibi videtur Simon?* Dic mihi quid ſentias hac de re, ex dictamine rationis æquitatiſq; naturalis? *Reges terræ*, qui alij in his, alij in alijs, mundi huius partibus regnant; *à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? Non de filijs ſimpliciter,* ait Chryſoſtomus, *ſed de proprijs & regni hæredibus diſputat: atq; ideò diſtinguendo alienos oppoſuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipſis regibus nati non ſunt; ſuos verò, quos ex ſe genuerunt.*

IESV eâ ſuper re cum Petro colloquium.

Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: *Ergo* tuo iudicio *liberi ſunt filij*, à ſoluendo cenſu omniq; tributo regibus patribus ſuis; tantum enim abeſt vt accipiant illi tributa à filijs, vt potiùs tributa ab alijs accepta in theſauros recondant aſſeruentq; filijs. Ex hoc iam exẽplo relinquit Petro à ſimili aut certè à minori intelligendũ (loquitur enim ſcienti cuius patris ipſe ſit filius) Et ego igitur qui Dei ſum filius, liber ſum à tributo Deo ſoluendo, in templi vſum, nec enim minùs diligit minoriſue facit filiũ ſuum Deus Pater, quam reges homines filios ſuos; immò multò ampliùs diligit & pluris longè facit.

Digitized by Google

Vnde Euthymius, *Per exemplum*,ait, *oſtendit, quòd cùm naturalis ſit Dei filius, non debet pendere Patri didrachmum.* Et hoc antiquior H.larius: *Vt oſtenderet*,inquit,*Legi ſe non eſſe ſubiectum, & ut in ſe paternæ dignitatis gloriam conteſtaretur, terreni priuilegij poſuit exemplum; cenſu aut tributis regum filios non teneri, potiusq́; ſe redemptorem animæ noſtræ corporisq́; eſſe, quàm in redemptionem ſui aliquid poſtulandum.*

Iesvs, ne ſit ſcandalo, iubet didrachma ſolui.

Vt autem non ſcandalizemus eos; ſcandalo ſeu offendiculo ipſis ſimus, cauſam ipſis præbeamus malè ſentiendi loquendiq; de nobis, habendi nos tamquam Legis & templi Dei contemptores, id quod ſuapte naturâ offenſiuum ſit. Cauſam autem præbuiſſet iſtis Iesvs, quia ignotum ipſis erat Iesvm eſſe filium Dei, nec adhuc ſcire tenebantur quod nondum clarè lateq; ſatis à Iesv prædicatum fuerat; & Apoſtolis quidem ipſis etiam prohibitum diuulgare. [m] *prouidenda verò ſunt bona, non tantùm coram Deo ſed etiam coram omnibus hominibus.* [n] *Scandalo* igitur, ait Hilarius, *præſtat ut ſoluat: cæterùm debito Legis eſt liber.*

m Matth. 16. v. 17.

n Rom. 12. v. 17.

Cauſam porrò dediſſet ſcandali non ſolus Iesvs, verum etiam Petrus, per quem negaſſet Iesvs cenſum, vt qui eiuſmodi præceptori adhæreret, quem rogatum, inſtantibus collectoribus, nequiſſet adducere ad ſoluendum ſacrum cenſum quem templo Deoq; deberet. Quocirca plurali numero ait *Scandalizemus*: docens quiduis potiùs agendum ac ferendum quàm ſcandalum alicui dandum; ſuo iure abſtinendum, pecuniæ cæterarumq; huiuſmodi rerum damnum faciendum.

Dicit porrò *vade ad mare* Galilææ, quod hanc vrbem alluit, *& mitte hamum: & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle: & aperto ore eius inuenies ſtatêrem,* (nummum argenteum tetradrachmum) *illum ſumens da eis pro me & te.* Liberaliùs ſoluit

Digitized by Google

Iesvs quàm fuerat rogatus, non tantùm neceſſario, ſed etiam decoro ſatisfaciens: parum enim honeſtum fuiſſet, Petrum adferre coactoribus didrachmum magiſtri ſui, nec adferre proprium, cuius non minùs ipſe quàm magiſter debitor iudicaretur: quamquam Petrus tamquam domeſticus Iesv Filij Dei, eodem iure liber erat quo ipſe Iesvs Filius Dei. *Vidiſti* igitur *honoris excellentiam* ait Chryſoſtomus, *vide nunc quanta philoſophia utitur Petrus. Miraris omnipotentiam Chriſti, mirare diſcipuli etiam fidem, qui ad rem ita natura incredibilem illicò paruit: cuius quidem fidei retributionem confeſtim habuit, Chriſto in tributi ſolutione coniunctus.* Hæc ille; nam cæteros diſcipulos ſuos, inopiæ ratione voluit Iesvs apud exactóres tacitè eſſe excuſatos, etſi non minùs pro omnibus quàm ſe & Petro didrachma potuiſſet ex mari piſcari. Solus Petrus Iesv in tributi ſolutione coniunctus.

Cæterum *ſtater* nomen græcum, ſignificat medium vnciæ; vnciæ inquam quali pharmacopolæ vtuntur; quemadmodum Siclus Hebræis: transfertur autem ad genus nummi eiuſdem ponderis, dupli didrachmi, de quo mox diximus, id eſt, quatuor drachmarum, eius pretij cuius ſunt apud nos quatuor Regales Hiſpanici. *Siclus*; inquit Hieronymus, [o] *id eſt ſtater habet drachmas quatuor: drachma autem octo latinam unciam faciunt.* Stater quid ſit. [o] *In c. 4. Ezechiel.*

Quòd verò Iesvs ex mari peti iubet didrachma quæ ſoluat, facit, non tam inopiâ coactus vacuorum loculorum, quàm vt immunitatem ſuam, tamquam filij, à tributo Deo ſoluendo, Petrum doceat rebus ipſis, quam verbis adſtruxerat (intelligendum enim relinquit Euangeliſta, hæc ita facta fuiſſe vt præcipiuntur & prædicuntur) Nam diuinitatis ſuæ ſpecimen edidit non exiguum, cùm ſecreta maris & occulta piſcium, ab hominum comertio maximè alienorum, ſibi nota monſtrauit, cumq; piſcem ad hamum primum aſcenſurũ, Cur tributi ſolutio ex mari petita?

Digitized by Google

qui ſtaterem fortè ore excepiſſet; vel potiùs, cùm ſe maris rerumq; omnium Dominum oſtendit, cui piſces eſſent tributarij & mare munera offerret, qui eum quem vellet piſcem, cuius in ore crearet, cuderet, hærereq; faceret, ipſe, imperij ſui iuſſu, ſtatêrem, ad hamum primùm compelleret; nam ſi naturaliter res agantur, ſtatêrem quem fortè in mare delapſum, aut in littore repertum, piſcis ore excipiat, non retineat ore, ſed in viſcera traijciat. Hinc porrò non tantùm confirmauit Petri de ſe Dei filio fidem, verumetiam declarauit ſe ſponte degere pauperem vitam, cuius eſſent mare, terra, & plenitudo eorum.

CAP. XIII.

Petrus à IESV docetur, peccata in nos admiſſa facilè eſſe condonanda.

Vnde Petrus occaſionem arripuerit IESVM interrogandi.

PETRVS cùm aliquando Chriſtum audiſſet ſiue docentem, ſiue admonentem, ſiue etiam præcipientem, vt ſi quis noſtræ religionis ac diſciplinæ alteri peccaſſet, is primùm clam remotiſq; arbitris, ab illo obiurgaretur: ſi ipſum non audiret, duos teſtes adhiberet: ſi ne tum quidem in viam rediret, idem apud eccleſiam ab ipſo accuſaretur: cui ſi minimè ille obtemperaret, iam pro alieno à noſtrâ diſciplina haberetur: ipſe diſcendi cupidiſſimus *accedens* propiùs interrogandi cauſa *ad eum, dixit*: [a] *Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vſq; ſepties?* q. d. Fieri poſſit vt toties iteret peccatum in me frater, vt venia dignus non videatur, tamquam illuſor aut certè eiuſmodi cui mea indulgentia ſit peccandi illecebra. An non eſt igitur terminus aliquis ſtatuendus veniæ dandæ? An ſi etiam ſepties me irritarit, ſepties condonem oportebit? Videtur Petro numerus ſeptenarius abundè multus

[a] Matth. 18. v. 21.

Digitized by Google

multus,immo æquo maior eſſe,ex carnis ſenſu.

Dixit illi IESVS: *Non dico tibi usque ſepties ſed usque ſeptuagies ſepties.* Egregiè regerit in Petrum, numerum quem ille vt æquo maiorem aſſumpſerat, immensè multiplicatum & hyperbolicè auctum, ſemel conuellens opinionem illius, vt qui nimis reſtrictus foret. Adeò enim non mouetur Chriſtus obiecto ſeptenario numero tamquam multo, vt diſertè exprimat nullum fieri debere remittendi finem: neq; enim certum numerum præſcribit, ſed potiùs mandat vt numquã fatigemur. Numerus itaq; certus *ſeptuagies ſepties,* ſiue, vt eſt græcè ad verbum, *ſeptuageſies ſeptem,* pro incerto eoq; maximo atque interminato ponitur, ſiue *ſeptuaginta ſeptem vices* intelligas, quo loquendi modo vtitur Lamech,[b] ad quem putant quidam Saluatorem alludere à contrario; ſiue, vt alij, *quadringentas nonaginta vices,* numero ſeptenario ſeptuagies multiplicato, quo modo dicere ſolemus latinè *ſexcenties*; vtrumque enim intelligendi modum tam græca phraſis quàm latina admittit. Senſus igitur eſt, toties quoties in te peccarit, immò, quod Hieronymus ait, *quoties in te peccare non deſiit,* vt intelligas, animo paratum te eſſe debere etiam ſæpiùs dimittere quàm te frater offendat, quantumcumq; ſæpè offendat. Iniuriarum obliuio & clementia maior eſſe debet tua, quàm fratris iniquitas. Intelligendum porrò eſt, quoties peccauerit in nos frater, toties eſſe extrinſecus dimittendum, *ſi conuertatur,* ſi peccati ducatur pænitentia: manifeſtum eſt ex Luca.[c]

Reſponſum IESV.

Numerus 77. quomodo intelligendus?

b Gen. 4. v. 24.

c Cap. 17 v. 3 4.

Igitur quoties certa pænitentiæ ſigna dederit, toties recipiendus eſt in gratiam: ſed nõ ſequitur, pænam mox dimittendam, aut abſque promerita punitione recipi debere, ſi ſæpiùs delictum iterarit: imò verò vt occurratur pronitati peccandi, & contagio ſcandali, ne diſciplinæ aut iuſtitiæ ordo pericli-

Ignoſcendum, ſed non ſemper ſine punitione.

periclitetur, adhibenda correctio eſt, ſiue verborum ſiue verberum, pro frequentiæ & grauitatis ratione; nec ſine magnâ etiam id fit charitate. Vnde Auguſtinus: [d] *Peccat ſemel, ignoui*, inquit: *peccat ſecundò & tertiò, ignoui; quartò vapulet. Corripiamus verbis; &, ſi opus eſt, & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus, ut ſi per charitatem imponatur diſciplina, de corde lenitas non recedat.* Hæc Auguſtinus. Magnam hoc Chriſti præceptum peccatoribus pænitentibus conſolationem præſtat: nam ſi tantam Chriſtus exigit ab hominibus clementiam, quantam exiſtimandum eſt eſſe ipſius Chriſti & Dei?

d ſerm. 15. de Verb. Dom.

CAP. XIV.

Petrus à IESV, de felicitate eorum qui ſua omnia Dei causâ reliquerint, inſtruitur.

Occaſio dicẽdorum, fuit hiſtoria adoleſcentis locupletis.

ADoleſcens quidam admodùm locuples ad IESVM adiens, eum, vt viam ſalutis ſibi oſtenderet, rogauerat, Chriſtus legis Moſaicæ præcepta quæ roganti ille commemoraſſet, eiuſmodi eſſe reſpondit, vt ijs ſi pareret, vitam & gloriam conſequeretur ſempiternam. Quibus cum ſe ille iam inde à puero obtemperaſſe dixiſſet: Chriſtus quiddam illi deeſſe addidit, quod ſi faceret, fore dixit vt perfecto abſolutoq; virtutis munere fungeretur. Hoc autem in eo poſitum eſſe, vt omnia quæ haberet, venderet daretq; egentibus, veniensque ipſum ſequeretur. Ille, qui multa, vt dixi, habebat, cùm de bonorum contemptione ac deſpicientiâ verba Chriſtum facere audiſſet, triſtis abijt. Chriſtus autem cùm hoc comperiſſet, diſcipulorum animos à diuitiarum & opum ſtudio hoc modo abduxit, difficile eſſe eos qui eſſent locupletes, in cælum peruenire: quin etiam facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm eum in cælum conuolare, cuius ſpes

Digitized by Google

ſpes omnis in opibus acquieſceret, quòd cùm illi intellexiſſent, mirari & quærere cæperunt, quiſnam gloriam ſempiternam conſequi poſſet. Ille & hoc in hominibus ſitum eſſe negauit, & nihil eſſe dixit quod Dei poteſtatem potentiamque effugeret.

Petrus verò caput, collegarum ſuorum nomine interrogauit IESVM de præmio quod ſe collegasq; maneret, ob conſilium illud, quod dictabat læta conſcientia maiori ex parte præſtitum (de ſalute enim ſuâ non fuerant in metum adducti diſcipuli ſermonibus IESV, eò quòd manifeſtè neceſſent diuites, nec eſſe deſiderarent, niſi fortè clàm Iudas, præmium tamen adoleſcenti promiſſum non perinde ſibi ipſi promittere audebant, quòd non omnes ſua vendita diſtribuiſſent pauperibus) quærit itaq; Petrus: a *Ecce* quod ab adoleſcente flagitas illeq; præſtare recuſat, *nos* Apoſtoli tui, alacriter, te iubente, ſi non præſtitimus omnes, certè quàm proximè acceſſimus. Non vendidimus quidem nec diſtribuimus omnes pauperibus, ſed *reliquimus* ſaltem, deſeruimus, relicta uſibus pauperum vxorum, liberorum, fratrum, ſororum, *omnia* noſtra, quidquid ſuppetebat nobis bonorũ, quidquid erat amicorum, vxores, parentes, fratres, ſorores, amicos, domos, agros, pecunias, ſupellectilem, & cætera, deniq; quidquid etiam induſtria noſtrâ lucrifacere & acquirere potuiſſemus.

Petrus, vt caput, nomine condiſcipulorum IESVM interrogat.

a Matth. 19. v. 27.

Fuerant inter Apoſtolos quidam diuites, Matthæus inprimis, &, quæ quorundam opinio eſt, Bartholomæus, qui ſua etiam vendidiſſe & pauperibus dediſſe potuerant: cæteri ſi non ſua omnia vendita dederant, certè reliquerant pauperibus, nec parùm reliquerant, qui ſua omnia re ipsâ reliquerant, plura relicturi ſi plura ſuppetiſſent (tametſi ſuum cuiq; maximum ſit) affectu præterea reliquerant cogitationem &

Digitized by Google

ſpem omnem terreni lucri quæ nemini vel egentiſſimo exigua eſſe ſolet, ita vt non ſit arguendus Petrus piſcator præſumptionis ſi confidenter loquatur *reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*, facti ſumus comites tui, inopis, huc illuc prædicandi Euangelij causâ oberrantis, & tecum hactenus permanemus, non ſine offenſâ mundi & moleſtiâ noſtrâ, ſtatuimuſq; ſemper manere. *Quid ergo erit nobis* ſ. mercedis aut præmij? num theſaurus in cælo quem adoleſcenti illi diuiti promittebas? Non metuit Petrus ne fruſtrà ipſe & Apoſtoli relictis ſuis omnibus Iesv ſe addixerint, ſed exponi ſibi deſiderat præmiũ quod ipſos maneat, quomodo adoleſcenti videbatur expoſitum, vt qui doctus in Chriſti ſcholâ ſciret nulla opera bona à Deo irremunerata relinqui.

Non reijcit Petri quæſtionem Iesvs, vt pro re magnificentiorem, quòd pauca quædam ipſe & pleriq; omnes collegarum reliquiſſent, quippe pauperes piſcatores, paupere ſupellectili pauperibuſque amicis inſtructi: non enim ex rerum derelictarum quantitate aut modo virtutem hanc æſtimat Iesvs, ſed ex animo affectuq; relinquentium. Et ſcimus tenues homines, quietæ & pudicæ vitæ aſſuetos, à ſuis non minùs ægrè auelli, nec minùs hilariter domi viuere manuarijs operis, quàm opulentiſſimum quemque.

Iesv reſponſum & promiſſio.

Duo autem attulerat Petrus à ſe & collegis præſtita, *reliquimus omnia & ſequuti ſumus te*: Iesvs priùs declarat quod ſit præmium ſequelæ, quæ præcipua res eaq; Apoſtolis propria erat, deinde quæ ſpontaneæ derelictionis rerum dicens: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael* Intelligendum hîc Iesvs dat, hoc conſilio duodecim à ſe Apoſtolos electos

lectos fuiſſe, vt eſſent tamquam duodecim doctores inprimis, deinde & iudices, duodecim tribuum Iſrael, quò teſtatius faceret Deum diſperſas populi ſui reliquias velle colligere. Satisfaciens itaque Iesvs Apoſtolorum ſuorum interrogationi de præmio quod ipſos maneret, primùm promittit ſequelæ ſui hoc ipſos præmium relaturos, vt in die mundi nouiſſimo ſint cum ipſo vniuerſi iudices, conſorteſq; eximiæ illius gloriæ quam pater in ipſum maximi præmij loco collaturus erat. Quo quidem intelligendum dat, illos non tantùm ingreſſuros in regnum cælorum, & theſauro aliquo donandos, qualem adoleſcenti promiſerat, ſed & primos principes fore regni cælorum, ac præcipuâ inter beatos gloriâ eminentiaq; fulſuros.

Iam declarat Iesvs quod ſit præmium bonorum ſua cauſa relictorum, dicens: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Non quauis de cauſa relinquentibus ſua promittit præmium, ſed ſua ſolius cauſa: vt enim nullum erit præmium relinquentibus domos, agros fratres, ſorores, aliâ cauſâ quàm Chriſti, ita etiam manebit ſupplicium eos qui parentes aut liberos ſuâ ope curaúe indigentes, alia ex causâ reliquerint; ac præſertim vxorem. Relinquit autem domos aut agros Chriſti cauſa, qui cùm non poſſit ea poſſidere ſaluâ lege Chriſti, deſerit ea & relinquit poteſtati inimicorum ſeu perſequutorum, potiùs quàm fidem neget aut Chriſti legem quouis modo violet; vel certè, etiamſi nulla uis vrgeat perſequutoris, tamen quò Chriſtum perfectiùs imitetur, illa vendit, alienat aut derelinquit. Fratres autem, ſorores, parentes, liberos, vxorem, Chriſti cauſa relinquit,

Quis Chriſti causâ ſua relinquere, verè dicatur.

quibuſcum conuiuere, quorum conſuetudine vti non poteſt, ſimul & fidem Chriſti colere, aut charitatem ſeruare illibatam, quòd ſint illi inimici legis Chriſti.

Quod ergò de vxoribus dicit, non nuptias diuidi vult, ſed ipſi quoq; coniugi Chriſtum præponi (vbi alter deſerendus foret) quem iubemur rebus omnibus, & ipſi animæ vitæq; præponere. Ille etiam Chriſti cauſâ hos relinquit, qui vxori conſentienti, parentibus & liberis non opus habentibus ſuâ ope curaúe, vt integriùs Deo ſeruiat, valedicit. Nam ſua relinquere, aliquando conſilij eſt, vt euadas in virum perfectum, nec fieri debet aliter, quàm ſeruatis circumſtantijs legitimis: aliquando verò præcepti, ne Chriſtum ipſum relinquas ſeu offendas, omninoq; faciendum.

Non ſufficit verò IESV ſuorum mentes ſurſum ad ſpem vitæ æternæ efferre; verumetiam præſentibus eos ſolatijs ſuſtentat confirmatq; ad ferendam crucem cùm dicit: *centuplum accipiet.* Cæterùm non eſt iſtud intelligendum, quòd recuperabit dominium longè plurium domorum aut agrorum (nec enim mundi diuitias promittit cultoribus ſuis Chriſtus) nec quòd luxuriabitur bonis alienis, ſed quòd ad moderatum ac verum vſum ſuppetent ipſi, præſto paratæq; erunt, plurium hominum domus ac facultates; nam etiamſi mundus aliquis diuitiarum tuus ſit, nihil amplius inde tibi ipſe accipias permittit ratio quàm moderatum vſum.

Quid *centupli* nomine intelligatur.

Itaq; ei qui vnam domum Chriſti cauſâ reliquerit, præſto apertæq; erunt centum aut plures domus ſi opus habeat, ſi opus ſit vrgente perſecutione aut alia ex cauſâ mutare habitationem. Centum alij Chriſti cultores parati erunt ex prouentibus agrorum ſuorum vitæ neceſſaria illi ſubminiſtrare, qui vnum agrum reliquerit, ita vt non ſolùm non cariturus ſit eo commodo quo ad vitam hanc ſuſtinendam ex

ſuâ domo aut ſuo ex agro opus habebat, verum etiam abundantiùs hoc illi ſuppetet. Similiter pro vno fratre relicto, plurimi erunt Chriſtiano inſtar fratrum, fraterno ipſum amore proſequentes, & ſpiritali glutino ſuauiùs adhærentes: pro vnâ ſorore, plurimæ adoleſcentulæ caſtè diligent obſeruabuntq; vt fratrem: pro vno patre, ſenes plurimi tanquam filium fouebunt: pro vnâ matre, matronæ plurimæ affectu materno neceſſitatibus illius proſpicient: pro vnâ vxore, centum aliorum vxores caſto ſpiritu ipſi coniunctæ, paratæ erunt per ſe aliosq; ſeruire valetudini commoditatibusq; illius, non ſecùs quàm ſi forent vxores illius: deniq; pro filio aut filiâ vnâ, innumeri reuerebūtur eum ut patrem, & ab eius doctrinâ ſanâ conſilijsq; pendebunt; ex quibus maiorem animus illius adepturus eſt voluptatē, quàm acciperet ex germanis liberis; vehementiores enim dulcioresq; ſunt affectus ſpiritus quàm naturæ, & vehementius amat quem conciliavit pietas quàm quem adjunxit nativitas. Non itaq; amittit res ſuas qui propter Chriſtum illas reliquit, ſed potiùs apud Deum deponit, earumq; curâ liberatus, vſum pleniſſimum certiſſimumq; ex divinâ providentiâ toties experitur, quoties neceſſitas temporis poſtulat: quò reſpiciens Apoſtolus, de ſe qui vnam tantùm domum & vnius provinciæ [b] paruos agros dimiſerat, & ſui ſimilibus, gloriatur: [b] *Tamquam nihil habentes & omnia poſſidentes.* [b] 2. Cor. 6. 8. 10.

Quòd ſi verò nonnumquam ſinat Chriſtus huiuſmodi extorres inedia affligi aut etiam perire, tunc, Chriſtus ipſe eſt eis inſtar omnium, qui externa corporis bona relicta, internis animi bonis compenſat (exemplo Apoſtolus eſt [c]) [c] Phil. 4. 8. 12. *quæ comparatione & merito ſui ita ſunt*, quod ait Hieronymus, *ut ſi paruo numero centenarius comparetur*; quibus multo ſolidiùs hominis animus reficitur, quàm fruitione quorumcumq;

 corpora-

Digitized by Google

corporalium quæ potuit reliquiſſe bonorum: corporalium inquam bonorum diſpendium ſpiritualibus animi dotibus ſarcitur, ita vt centuplo malis accepta quàm relicta.

Præterea quod eſt omnium maximum, pro rebus vanis & mox perituris, *vitam æternam* ac beatam, theſaurum in cælo, qui Euangelio promittitur, *poſſidebit*.

Sūma igitur eſt: Qui ſponte ſua perdiderint ob Chriſti cauſam, fore tamen etiam in hac vita feliciores quàm ſi ſua retinuiſſent: præcipuam verò mercedem illis in cælo eſſe repoſitam.

CAP. XV.

Petrus IESVM à lotione pedum ſuorum prohibet primò, ſed ab eodem inſtructus, mox ultrò admittit.

IN conuiuio illo ad quod extremum duodecim apoſtolos pridie quàm in crucem ageretur, adhibuit Iesvs, Petrus quantum & Iesv tribueret, & de ſe declarauit, quantoque ſtudio ad gloriam aſpiraret ſempiternam.

Cùm enim Iesvs abluere eis omnibus pedes ac detergere conſtituiſſet, *ſurgit à cœnâ, & ponit veſtimenta ſua*, a nempè tunicam exteriorem ſiue ſuperiorem, quæ orientalibus oblonga eſt. Nec enim veriſimile eſt, aſſediſſe menſæ indutū pallio; certum autem, non exuiſſe tunicam inconſutilem, id eſt, interiorem: hoc enim triplex veſtimentum fuit Domino Iesv in vſu. Exuit autem tunicam exteriorem, vt expeditior ſit ad miniſtrandum, ne veſtis longior ac laxior impedimento ſit. Hoc eſt quod Euthymius dicit: *Quò ſuccinctior eſſet ad id quod facere parabat. Et cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe*, id eſt lumbos ſuos eo ſcilicet linteo. Linteum accepit ad extergendos,

a *Ioan. 13. v. 4.*

Qualibus veſtimentis vſus Iesvs.

gendos pedes; præcinxit verò ſe eo, vt in promptu & ad manum haberet extrema lintei propendentia, ne quo alio miniſtro opus eſſet ad abſterſionem. Non enim ſolùm lauare voluit, quod miniſterij erat, ſed etiam miniſtrantis habitum induere, linteo præcinctus ſuper ſubuculâ.

Deinde mittit aquam in peluim, infundit ipſe, non iuſſit infundi per alium, *exemplo docens*, inquit Chryſoſtomus, *non remiſsè & frigidè bona operari, ſed quàm diligentiſſimè*; *& capit*, id eſt, compoſuit ſe, ita omnino ſe habuit, vt iam iam vellet *lauare pedes* lutoſos aut certè puluerulentos, (*quia diſcalceati incedebant*, inquit Lyranus) *diſcipulorum* ſedere iuſſorum, & magno ſtupore rei exitum exſpectantium. Componit ſe ad lotionem pedum diſcipulorum.

Domino enim à menſâ ſurgente, diſcipuli quoq; omnes, vel honoris cauſa, ſurrexerunt: & cùm viderent peluim à Domino accipi, non dubium quin obtulerint operam ſuam vt aquam infunderent: ipſe verò non paſſus hac in re ſibi ſeruiri, monuit vt ſederent omnes tergo ad menſam obuerſo (ſi non aliæ ſedes ibi fuerint) quòd mens ipſius eſſet lauare pedes ipſorum. *Vt nos modeſtiam diſcamus, propterea vilius membrum elegit*, ait Chryſoſtomus. Rupertus: *Idcircò pedes potiùs quàm manus & caput, quia in lauandis pedibus, & affectuoſior eſt geſtus humilitatis, & propinquior ſignificatio charitatis, quâ nos lauit in ſanguine ſuo à peccatis noſtris. Conſidera quæſo*, inquit Cyrillus, *quam ſeruile hoc miniſterium, quàm infimum, ſi quis mundi huius honorem reſpiciat*, quo lotos pedes etiam cæpit *extergere linteo, quo erat præcinctus*, nempè extremis lintei partibus ante corpus ſuum propendentibus. Addit Nonnus paraphraſtes: *A primo ad ultimum tranſiens ab alio ad alium, incipiens à Simone uſq; ad ſuum interfectorem.* Mos eius temporis obtinebat, vt ante conuiuium lauarentur pedes charorum hoſpitum, præſertim foris aduenientium, [b] eum morem neglexit plerumq; IESVS

Cur pedes elegerit ablu-endos.

Mos lauandi pedes.

[b] *Luc. 7. v. 44.*

& ne

&ne iuſſit quidem diſcipulis vt manus lauarent ante cibum, quamquam ea eſſet traditio ſeniorum.[o] Verùm in hac vltima cæna, pedum ablutionem, quam ex more fieri congruebat initio, tranſtulit in finem, vt ſignificaret, aliam à ſe cænã parari, longè ſacratiorem ea quæ ſumpta fuerat, corporis ſui nimirum & ſanguinis, ad cuius acceptionem requireretur in primis munditia, cùm corporis, tum maximè animæ eorum qui i eſſent accepturi.

[o] Matt. 15. v. 2.

Iesvs venit ad Petrum primò cur?

Venit ergo, ad Simonem Petrum primum, vt erat ille primus obuius, vt quem condiſcipuli coegerant primum ſedere. Venit primùm ad Petrum, non tam honoris cauſa, quòd primatum ei deferret, quam admonitionis: vt diſceret ipſe in primis, qui cæteris futurus erat maior, quomodo cæteris humiliùs ſe gerere deberet.

Venit autem, peluim vtraq; manu geſtans, & ea humi poſita ad Petri pedes procubiturus. Potuiſſet ſingulos ad ſe vocare, ſed maluit ipſe ad eos accedere, ne quid omitteret, quod ſeruili miniſterio, & humilitatis profunditati congrueret.

Petrus recuſat lauari à Chriſto.

Petrus verò Chriſti dignitatem fide conſiderans, exhorruit inauditum humilitatis exemplum. *In ſtuporem verſus, dixit præ reuerentiã*, ait Euthymius: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Interrogatio ſignificationem habet & increpantis & recuſantis, eò quòd fieri videatur, quod non deberet, quaſi dicat: Res indigna ſit, vt tu mihi laues pedes. Ego tibi debeo lauare, ſi officium dignaris admittere, non tu mihi: ſeruorum hoc munus eſt, non domini. *Iure tanta rei pondus fidelis diſcipulus pertimuit*, notat Cyrillus, *& ſolita ſibi uſus reuerentiæ fructu recuſauit: præſertim cùm rei cauſam ignorans putaret ad quandam ſolummodò corporis quietem, ut fieri ſolet, à Domino illud cæptum eſſe. Lotio enim pedum, laborem ſtatus aut itineris mitigat:*

Lotio pedum quid conferat.

Digitized by Google

mitigat: propterea feruenter prohibet dicens: Tu mihi lauas pedes? Oportebat, inquit, nos, qui naturâ ſerui ſumus, non te qui Dominus omnium es officium id ſuſcipere. hactenus ille.

Dicit ergò, *Tu mihi*, Dominus ſeruo, magiſter diſcipulo, rex ſubdito, Filius Dei viui homini peccatori? [d] De harum vocularum emphaſi ſcribit D. Auguſtinus: *Quis neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum. Sed non ita intelligendum eſt, quòd poſt aliquos ad eum venerit, ſed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes Apoſtolorum lauare cœperit, venit ad eum à quo cœpit, id eſt, ad Petrum: & tunc Petrus, quòd etiam quilibet eorum expauiſſet, expauit atq; ait: Domine tu mihi lauas pedes? Quid eſt tu? Quid eſt mihi? Cogitanda ſunt potiùs quàm dicenda: ne fortè quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.* hæc Auguſtinus. *d Luc. 5. v. 8.*

Lauas pedes, manibus illis quibus cæcorum oculos aperuiſti, quibus leproſos mundaſti, & cætera, quæ eleganter Theophylactus, imitatus præceptorem Chryſoſtomum.

Reſpondit IESVS *& dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà.* Sciebat & videbat Petrus quòd IESVS vellet ipſius pedes lauare: ſed IESVS ſignificat ſe aliud quidpiam velle, quàm ſimpliciter pedes lauare: & quaſi dicit, Si nouiſſes, non reluctareris, & ſi velim tibi omnino explicare modò non poſſis portare modò, *ſcies autem poſteà*, partim *quando receptis veſtibus accubuero, & cœperò docere vos ac dicere. Scitis quid fecerim vobis?* (quod ait Theophylactus, conſentaneè D. Auguſtino) præcipuè verò *cùm venerit Spiritus veritatis, qui vos & huius facti cauſam & omnem veritatem docebit*, quod ſcribit Rupertus. Vtrumq; tangit Euthymius, imitatus Chryſoſtomum. *Quid IESVS Petro reſpondit.*

Continetur quidem totum myſterium, quod hac ablutione voluit Dominus IESVS ſignificatum, verbis illis quibus infrà *Myſterium lotione pedum ſignificatum.*

Digitized by Google

e Ioan 13 &c. 14 & 15.

infra *e* ad Apoſtolos vtitur: *Si ergo ego laui pedes veſtros,* &c. ſed clarè non niſi exemplum humilitatis ac dilectionis vrgetur, quod Petrus ex ſe ipſe facilè poterat intelligere: præcipuum verò myſterium, nimirùm quòd curandum Apoſtolis ſit, vt qui dominici corporis & ſanguinis participes eſſe velint, ſint animis mundi, id non niſi obſcure continetur, promittitur autem intelligendum, cùm accepto Paracleto & reliqua Chriſti verba geſtaq; penitiùs cognoſcent. Interim verò exigit IESVS à Petro reliquisq; obedientiam, quam præſtent etiam priùs quàm rationem intelligant: qualis obedientia cæca dici conſueuit.

Petrus adhuc reluctatur.

Petrus, non contentus reſponſo illo IESV, & præ ſummâ reuerentiâ non conſiderans quam deberet obedientiam, *dicit ei*: *Non lauabis mihi pedes* (& hoc emphaticum eſt) *in æternum*, id eſt, numquam. Auguſtinus: *Numquam hoc feram, numquam patiar, numquam ſinam, hoc quippe in æternum non fit, quod numquam fit.*

Quia IESVS non explicuerat cauſam: Petrus non tantam eſſe ratus, quanta talem indignitatem poſſet excuſare, *vſque ad ſuos pedes humilem Chriſtum non vult videre, non poteſt ſuſtinere*, ait Auguſtinus. Potuiſſet Petrus rogare cauſam: ſed non curat cauſam præ animi feruore, imaginatus ſolam eſſe humilitatem IESV, cuius exemplum non vult in ſuis pedibus edi, *arbitratus grauari humilitatem ſerui, ſi ſibi obſequium Domini patienter admitteret*, quod ait Ambroſius. *f* Debuerat quidem ſufficere ei, ne ampliùs tergiuerſaretur, quod audiſſet à IESV, ſubeſſe lotioni huic aliquid, quod poſteà cogniturus eſſet; ſed quia recuſatio profecta fuit à fide, reuerentiâ, dilectione, & humilitate perfectâ, venit excuſanda à culpâ ante comminationem.

f lib. de ĳs qui myſt. init. c. 6.

Excuſatur à culpa.

Reſpondit

Digitized by Google

Reſpondit ei IESVS*: Si non lauero te, non habebis partem meum.* Multa hac phraſi ſignificantur. *Non habebis partem mecum* in familiâ meâ, in menſâ meâ, præſertim euchariſticâ, in conſortio, in regno meo in gloriâ Patris, non agnoſcam te pro meo, non habebis me amicum, expellam te conſortio meo, *nihil tibi mecum commune erit* (quæ Cyrilli ſunt verba) hac pænâ puniam inobedientiam tuam. Acri comminatione vtitur IESVS, vt acrem Petri animum deterreat à ſententiâ: *quare quod maximè ſciebat cor eius vellicaturum,* inquit Theophylactus; *incutit ei tamquam terriculamentum quoddam.* Sed numquid æternam à Chriſto ſeparationem poterat mereri, humilis ac verecunda recuſatio rei adeò exiguæ? poterat certè, propter coniunctam inobedientiam. Docet hoc pluribus locis D. Baſilius, nominatim oratione tertiâ quæ eſt de peccato, vbi ait: *Hanc ob rem eiuſmodi Petro iactatæ ſunt minæ, ut niſi promptitudine ac velocitate obedientiæ, voluntatem ſuam correxiſſet: non illi medius fidius, illæ beatitudines à Deo in eum profectæ, non dona, non promiſſiones* (&c.) *ſuffeciſſent ad præſentem illam inobedientiam expiandam.* Comminatio IESV.

Quemadmodum quædam illicita eſſe contingit, non ex naturâ ſuâ, ſed tantùm quia prohibita ſunt; ita contingit aliquid neceſſarium eſſe ad ſalutem, ex eó ſolùm quòd præceptum ſit. Quamuis ergo Petrus, ex profunda humilitate & pietatis plena erga Dominum reuerentia, recuſaret ab eo lauari: tamen ſi pertinaciter reſtitiſſet, incurriſſet in mortale inobedientiæ crimen, quale ipſum penitus à Chriſto Domino ſeparaſſet. Illicita quædã non per ſe, ſed ob prohibitionem.

Petrus huiuſmodi comminatione velut fulmine quodam exterritus, *cedit confeſtim maiori,* inquit Cyrillus, *nec pertinaciter contendit, ſed citò ſe pœnituiſſe oſtendit,* dicens: Velox Petri obedientia.

M 2 *Domine,*

Digitized by Google

Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput, adeóq; totum corpus, ſi ita viſum eſt (nam loco corporis, ea membra nominat, quæ frequentiùs lauari ſolent). Subaudit, potiùs quàm à te ſeparer, potius quàm conſortio tuo eijciar, & eam quam exſpecto obtinere in regno tuo partem, ob quam hactenus te ſequor, amittam. *Petrus amore & timore perturbatus*, ait Auguſtinus, *& plùs expaueſcens Chriſtum ſibi negari, quàm vſque ad ſuos pedes humiliari: Domine, ait, non tantùm &c: Quandoquidem ſic minaris lauanda tibi membra mea, non ſolùm ima non ſubſtraho, verumetiam prima ſubſterno. Ne mihi neges capiendam tecum partem: nullam tibi nego abluendam mei corporis partem.* Nec minùs propria ſcribit in hunc locum Theophylactus: *Vbi audiuit Petrus terribiles haſce minas, quàm vehemens erat detrectando, tam vehemens, imò vehementior erat admittendo, ita ut & caput ad lauandum daret. Vtrumque autem ex charitate fiebat, & detrectatio, quia plurimùm obſeruabat Dominum; & admiſſio, quia à Domino ſeparari nolebat.* hæc ille Chryſoſtomum præceptorem imitatus. Obſeruandum hîc, vt diuinis myſterijs & indignos nos agnoſcamus, & tamen, quia Deus præcipit, cupidè vtamur.

CAP. XVI.

Petrus per Ioannem, proditorem IESV tacitè expiſcatur.

EAdem in cæna paulò pòſt, Petrus Chriſtum triſtem perturbatumque animo animaduerterat, eodemq; affectum animo ipſi ac condiſcipulis prædicentem audiuerat, fore, vt vnus eorum ipſum proderet. Quâ illius oratione cùm vehementer omnes, vt æquum erat, commoti eſſent, ſeſe mutuò aſpiciebant, dubij, ſuſpenſi, anxij, *de quo diceret*, quem notaret,

IESVS ſe prodendum aperit.

taret. *Nota quidem ſibi erat*, inquit Auguſtinus, *cuiuſque conſcientia, verumtamen quia proximi erat ignota, ita ſibi ſingulus quiſque erat certus, ut incerti eſſent, & in cæteris ſinguli, & in ſingulis cæteri.* Quamobrem ſe mutuò intuebantur, quod ait Euangeliſta,[a] partim quòd ita ſtuperent, vt ſolent qui ad rem nouam & inſperatam attoniti ferè conſternantur, partim quòd ſic obſeruarent ſi quod indicium malè conſcij ex vultu poſſent colligere, ſi quis ipſorum vel voce vel erubeſcentiâ vel alio modo culpam hac in re cognoſceret ſuam, aut conſcientiam proderet. Cùm autem nihil eiuſmodi aſſequi poſſent (vt erat perfrictæ frontis Iudas) conquiſiuerunt inter ſe, de quo ex ipſis hoc dici poſſit, quod refert Lucas:[b] & nec ſic quidquam intelligentes, ſinguli rogarunt Dominum: *Numquid ego ſum*; quod habent Matthæus,[c] & Marcus:[d] Poſtremò Ioannes, rogatu Petri, à IESV petijt quiſnam id foret.

a Ioan 13. v. 22.
b Cap 22. v. 23.
c Cap 26. v. 22.
d Cap. 14. v. 19.

Petrus cupidus cognoſcẽdi proditorẽ, quid fecerit?

Nam Petrus anxius & ſolicitus de ſalute Domini ſui, ſummo tenebatur deſiderio cognoſcendi proditorem in particulari, quem generalis ſermo perſtrinxerat: idq; eo fine, vt vel inſurgeret in eum, vel certè conatum eius impediret. Itaq; cùm remotior ſederet à Domino, non auſus palàm rogare rem adeò odioſam, veritus ne Domino diſpliceret, petit Ioannem, qui proximus Domino aſſidebat, vt ſecretò nomen proditoris exquirat, ſperans ſe poſteà ex Ioanne intelligere poſſe.

Innuit ergò huic Simon Petrus, & dixit ei innuendo; nec enim locutus eſt, ſed ſolis nutibus egit. *Notanda locutio*, inquit Auguſtinus, *dici aliquid, non ſonando ſed tantummodò innuendo. Innuit, inquit & dicit, utique innuendo dicit.* Nam ſi verba locutus fuiſſet, non opus fuiſſet nutibus: ſolis autem nutibus vtitur, quaſi volens celare IESVM; quòd ipſe eſſet qui hoc quæreret. *Quis eſt de quo dicit?* ſeu loquitur ſ. Dominus,

M 3 quem

quem ex nobis notare velit Dominus proditorem.

Itaque Ioannes, Petri nutum intelligens, *cùm recubuiſſet ſupra pectus* IESV, *dicit ei: Domine quis eſt?* Ad nutum Petri, quò meliùs eum intelligeret, nonnihil erexerat ſe Ioannes; volens igitur IESVM interrogare, iterùm reclinauit caput ſupra pectus IESV, & inter reclinandum, ſecretò & quaſi in aurem, quod ait Chryſoſtomus, ne alij audirent aut obſeruarent rogauit quis ille foret.

Iesvs Ioanni proditorem detegit.

Reſpondit IESVS: & quidem *tàm ſubmiſsâ voce*, inquit Chryſoſtomus, *ut minimè ab alijs audiretur. fortaſsè enim eum decerpſiſſent Apoſtoli, fortaſſe Petrus interemiſſet. Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero.* Nudâ panis buccellâ nemo ad edendum inuitari ſolet, niſi fuerit in ius ſeu condimentum (quale adhuc reſtabat in hac menſa) intincta. Nondum exprimit proprium proditoris nomen: ſed conſtituit Ioanni pro ſigno, id quod conſueuerant aliquando ipſe alijq́; patresfamilias, beneuolentiæ cauſa agere nempe, vt ſingulariter alicui conuiuantium gratam offulam ſeu buccellam offerrent. *Neque ſic interrogatus, nomine proditorem manifeſtat*, inquit Theophylactus Chryſoſtomum ſecutus, *ſed per buccellam manifeſtum facit, in memoriam ei reducens menſam & panem, quorum particeps erat, ut ne prodat & contra paſcentem inſaniat. Accipe, inquit, panem, cuius mecum particeps es: memor eſto communis menſæ.* In eamdem ſententiam ſcribit Cyrillus: *Cui Saluator nullum aliud ſignum dedit, quàm Propheta prædixerat: Qui manducat panem meum*, &c. Cæterùm ſunt, qui IESVM exiſtiment etiam idcircò vſum ſigno buccellæ intinctæ, vt vnà cum proditore præſente, modum futuræ proditionis manifeſtaret: quòd quemadmodum ipſe buccella, ſigno beneuolentiæ, Iudam Ioanni indicaret: ſic Iudas oſculo, ſigno amicitiæ ac pacis, indicaturus eſſet IESVM inimicis.

Et

Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Fuit omnibus manifeſta buccellæ datio, ſed quo fine daretur, non item. Hinc ergò intellexit Ioannes, Iudam fore proditorem communis Domini: ſed Petro non indicauit, quia mox egreſſus Iudas ſatis prodidit ſeipſum. Fuit autem vtile Ioannem id anteà ſcire, & huius rei teſtem poſteà apud alios fieri.

CAP. XVII.

Petro arrogantiùs promittendi ſequelam, prophetat IESVS trinam negationem.

IN extremo illo ſermone, quo IESVS Apoſtolis ſuis ſtudium humilitatis, & mandatum nouum dilectionis mutuæ commendauit, prædicens eis diſceſſum ſuum ad mortem, Petrus, non tam adtendens animum ad nouum illud mutuæ dilectionis mandatum, quod ſibi facile fore iudicabat, quàm illud quod obſeruarat in verbis IESV, ſibi cæteriſq; Apoſtolis dictum: [a] *Quò ego vado, vos non poteſtis venire modò*, indignè ferebat, quòd diceretur ſeparandus à Domino vel ad tempus, maleque eum habebat, quòd non meliùs Dominus de ipſo ſentiret: itaq; rogabat feruidus Dominum: *Domine, quo vadis?* [b] quò ſcilicet non poſſim te ſequi? quaſi diceret: Quænam eſt via tam imperuia, aut locus tam difficilis acceſſu, quò ego non queam te ſequi: aut quodnam periculum tantum, quantum ego tua cauſa non adeam? *Hoc autem dicebat*, inquit Chryſoſtomus, *non tàm diſcendi quam ſequendi eum deſiderio*, ſeu, quod Cyrillus, *ex cupiditate ſequendi Chriſtum*, quaſi ſecuturus quocumq; tandem ſe iturum eſſe reſpondiſſet.

a Ioan. 13. v. 33.

Petrus IESVM interrogat, quò vaderet.

b Ibid. v. 36.

Reſpondit IESVS, non ad verba Petri (nec enim aperuit quò iret) ſed ad mentem: rogauerat enim animo ſequendi: quod

Ad mentem Petri, non ad verba reſpondet IESVS.

Digitized by Google

quod non Chryſoſtomus tantùm, ſed & Auguſtinus annotat: *Quò ego vado* per mortem Dei cauſa tolerandam ad regnum Patris cæleſte, ***non potes me ſequi modo***; primùm, quia modo non es idoneus ad ſubeundam mortem pro confeſſione nominis mei, circumdatus infirmitate; nondum ſatis tibi ſuppetit virium ad martyrium; deinde quia nondum venit hora tua. Oportet enim priùs perfici quæ per te Deus facienda decreuit, vt Euangelium meum orbi promulges & Eccleſiæ clauum teneas, *ſequeris autem* me in regnum Dei per mortem ſimilem meæ, (nam ad ſupplicium crucis hìc alludi arbitratur Cyrillus) *poſteà* quàm accepto Spiritu te corrobante, & naturam quodammodò reformante, apoſtolatuq; abſoluto, didiceris mortis pericula contemnere, eiuſq; terrorem ſuperare, quod ait Cyrillus. *Noli extolli præſumendo, non potes modò* (ſcribit Auguſtinus) *noli deiÿci deſperando, ſequeris poſteà.* Significat igitur Iesvs, Petrum morti ferendæ nondum maturum eſſe, formandum tamen & firmandum temporis ſucceſſu vt ſequatur.

Petrus non vult ſeparari à Chriſto.

Petrus, impatiens omnis ſeparationis à Chriſto, etiam temporariæ, nec contentus ſequi poſteà. *Neque ſic,* inquit Chryſoſtomus, *deſiderium cohibuit, quamuis benè ſibi ſperandum audiret; ſed ita impellitur feruore, ut dicat Quare,* quid obſtat cur non poſſim *te ſequi modò*, an incommodum aliquod aut periculum vitæ? *Animam*, id eſt, vitam *meam*, qua homini nihil eſt charius, *pro te*, tua cauſa, potiùs quàm à te ſeparer *ponam*, impendam, quandocumque opus fuerit, etiam modò. Vult oſtendere, quòd etiam modò poſſit Chriſtum ſequi, quocumque eat: quia etiam modò paratus ſit, potiùs quàm à Chriſto diſtrahatur, vitæ iacturam facere, & oppetere mortem. nam qui mortem quâ nihil terribilius, non timet, nihil illum cæterorum malorum à ſequendo abſterrere poteſt.

In

Digitized by Google

In quam ſententiam exponens hunc locum Cyrillus: *Quid prohibere poteſt, ait, ne te ſequar, cùm etiam ad mortem ita paratus pro te ſim, ut gloria id mihi videatur? omnium enim finis mors eſt, quam ſi ſubire pro te paratus ſim, quid me ne ſequar prohibebit? Magni feruoris plena eſt hæc pollicitatio Petri* (hæc Cyrillus) quam fortiorem viribus, expreſſerat ſincerus quidem, ſed humanus adhuc, nec ſibi ſatis notus amor. *Quid in animo ipſius eſſet cupiditatis, videbat* (inquit Auguſtinus) *quid virium, non videbat.*

Reſpondit ei IESVS: *Animam tuam pro me pones?* Vitam tuam impendes pro me? q. d. longè ab eo abes. *Amen amen dicò tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* ſenſus eſt: Tantum abeſt vt vitam tuam expoſiturus ſis periculo, ad hoc vt me ſequaris, ad hoc vt mihi conſtanter adhæreas; vt, quod multo minus eſt, fateri me non ſis præſtiturus, ſed intra breuiſſimum tempus, ante proximum ſcilicet huius noctis gallicinium, non ſemel, ſed ter ſis negaturus me tibi notum. *Qui mihi promittis mortem tuam, ter me negabis vitam tuam,* inquit Auguſtinus. IESVS Petro trinam negationem prædicit.

Noluit IESVS cum Petro contendere, ſed voluit eum proprio experimento ſapere. Annotandum autem ex Euthymio, Petro ſæpiùs de ſuis viribus præſumenti, bis à Domino prædictam fuiſſe trinam negationem, ſemel domi, quod hîc Ioannes narrat poſt Lucam; ſemel poſtquam egreſſus fuerat domo, in itinere montem Olìueti verſus, quod narrant Matthæus & Marcus. Auguſtinus ter prædictum credit. Sed facilè eſt narrationem Lucæ cum narratione Ioannis in concordiam redigere, hoc vel ſimili modo: *Animam tuam pro me pones?* [c] *Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos ut cribraret ſicut triticum, Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine,* [c] Luc. 22. v. 31.

mine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me; vel, vt eſt ſecundùm Ioannem: *d Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.*

d Cap 13. v. 38

Iesvs ſingulariter pro Petro orauit.

In prædictis verbis S. Lucæ nonnulla notanda occurrunt, vt cùm Chriſtus dicit, *ego autem oraui pro te*, pro omnibus quidem vobis, ſed ſingulariter pro te, per quem, cõſtitutum à me caput cæterorum omniumq; in me credentium, decreui reliquos ad ſalutem adducere (inſinuat, Petrum à ſe conſtitutum loco & ordine primum, pro parte regni ſui in hoc ſeculo fluctuante) *ut non deficiat fides tua* fides quâ tu credis in me Chriſtum Filium Dei viui, doctorem veritatis in vniuerſa quæ à me profecta ſit doctrina; tu inquam credis, & credent ſucceſſores tui in hoc munere regendæ eccleſiæ meæ omnes. Non orauit, ne Petrus cribraretur à Satana (id enim permiſſum ſatanæ fuit paulò pòſt e) ſed ne fides eius deficeret.

e Luc. 22. v. 56. &c.

Dat igitur intelligendum Iesvs, permiſſum ſatanæ poſtulanti eſſe, vt cribret Petrum, ſed ita permiſſum vt fidem ei non excutiat: quemadmodum Iob permiſſus fuerat arbitrio ſatanæ affligendus, ita tamen vt eius animam ſeruaret. f Satanâ enim impetrante à Deo vt cribrare & agitare poſſet Petrum; ſe impetraſſe, ne ita cribraretur ſeu agitaretur, vt fides eius deficeret, quod maximè volebat & ſpectabat ſatan. Defectus quidem fuit Petrus fide, quando animo vacillante deſeruit primùm, deinde etiam negauit, comprehenſum Iesvm, g ſed quia defectio illa fidei non abſoluta fuit; ſed imperfectior, ex animi vacillatione, minimè ex peruicacia, obſtinatione, aut aſſenſu contrario orta, nec durauit niſi ad modicum tempus, adeò vt mox renata fides viuidiùs reuixerit, cenſetur non defeciſſe, id eſt, non

f Iob 2. v. 6.

g Matth 26. v. 31.

eſſe

eſſe euulſa funditus aut radicitus exſtirpata, immo turbata potiùs quàm vel ad tempus mortua.

Vt prætercam, quòd promiſſio non defecturæ fidei, reſpiciat potiùs conditionem capitis eccleſiæ doctorisq́; fidei in Petro, quàm priuatæ perſonæ eius. Nam & ſic aliqui ſucceſſorum eius, vt priuatæ perſonæ, potuerunt animæ vacillâſſe circa fidem: ſed vt eccleſiæ, tamquam capita eius primique doctores, proponerent aliquid credendum, quod Chriſtianæ fidei foret contrarium, minimè accidit, hac Chriſti oratione prohibente. Vi huius orationis nullus ſucceſſorum Petri à fide defecit

Et tu aliquando conuerſus à peccato derelictionis & negationis mei, quod breui commiſſurus es, *confirma fratres tuos* non Apoſtolos meos tantùm (quod legitur feciſſe Petrus poſt Domini aſcenſionem [b]) verumetiam reliquos omnes in me credentes, exagitatos perſecutionibus variis, tyrannorum, hæreticorum, carnis, ſatanæ. Sub officio confirmandi in fide, intelligit omnis generis confirmationem pertinentem ad ſalutem, cuius fundamentum eſt fides. Mandat officium, non dominandi, ſed confirmandi in bono fidei, ſpei, & charitatis. Porrò hoc idem vult IESVS dictum ſucceſſoribus Petri, vt citò conuerſi à peccatis, ſi in quæ fortè inciderint, confirment cæteros Chriſtianos, in fide, pænitentiâ, &c. Idcircò enim aliquando permittit Deus, vt ij quos ordinauit rectores aliorum, offendant & labantur: vt eo, & ſubmiſſiùs de ſe ſentiant, & benigniùs peccatores tractent. Cur Rectores & Prælati aliquando labi permittantur.

[b] Act. 1. & 15. & 15. & 2.

Cæterùm, non vult Chriſtus dicere, quòd niſi conuerſi ſint, alios confirmandi non habeant auctoritatem: ſed inſinuat, quòd niſi conuerſi ſint, minùs idoneos ſe præſtent ad alios confirmandos, & præſertim ſi fidem eos negaſſe contigerit, quemadmodùm Petrum.

CAP. XVIII.

Petro cæteris fortiùs ſe iactanti, declarat IESVS futuram ipſius quàm cæterorum grauiorem offenſam.

ABſolutâ cænâ & hymno dicto, cùm IESVS ciuitate egreſſus in montem Oliueti iter cum diſcipulis intenderet, inter eundem *dicit illis: omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſtâ nocte.* [a] Hac oratione ſenſit Petrus ſe notatum inter cæteros: id itaq; præ eo quo ardebat IESV amore, minimè ferens, quippe alienum à ſe putans, vt IESV iam periclitante offendiculum pateretur: Quidquid ait, de cæteris collegis meis futurum ſit, etiamſi illi omnes deſerant te & abs te alienentur, ego ſcio & promitto, numquam me commiſſurum, quidquid tandem tibi accidat, vt te deſeram, aut in te peccem, vacillem fide in te, aut de doctrinâ & promiſſionibus tuis dubitem. q. d. Quo modo cæteri collegæ mei, animo affecti ſint, neſcio: at ego meum erga te animum huiuſmodi noui, quem impoſſibile ſit abs te alienari aut deficere. Magnifica de ſe promittit Petrus, perſpectum ſe habere exiſtimans ſuum erga IESVM amorem feruentiſſimum (*fides enim eſt, & ardens affectus erga Dominum,* quod ait Hieronymus, *qui ſic eum loqui cogit*) ſed haud ſatis ſibi notus, immo infirmitatis ſuæ ignarus, ſecurè magis quàm fortiter grandia pollicetur. Non mentitur quidem: *putat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentit,* ait Auguſtinus: [b] ſed peccat tamen, & quidem ter, quod notant Chryſoſtomus & Euthymius; ſemel quia Chriſti ſimul & prophetæ verbis non ſolùm non acquieſcit, verumetiam audaciùs reluctatur; ſemel, quia cæteris ſe præponit; tertiò, quia ſuis viribus facere ſe poſſe præſumit, quod abſque ſingulari

[a] Matth. 26. & 31. Marc. 14. & 27.

Petri magnifica de ſe promiſſio.

[b] lib. de grati. & lib. arb. c. 17.

Quoties hic peccauerit Petrus.

gulari Dei auxilio facere non poteſt. *Cùm enim dicendum eſſet*, inquit Chryſoſtomus, *opem nobis feras ne ſcandalizemur*; ſaluos nos fac ab hoc ſcandalo, adiuua incredulitatem & infirmitatem noſtram: è contrario ſibi ipſi totum attribuit & arrogat, tamquam Chriſti ad hæc gratiâ opus non habeat: quamobrem & cadere permiſſus eſt, vt ſibi ipſe notus fieret. *Magnum profectò dogma hinc diſcimus*, inquit Chryſoſtomus, *quia videlicet nullo modo hominis voluntas ſufficit, niſi auxilio ſuperiore roboretur.* Et Victor Antiochenus in Marcum: *Offertur hîc nobis ſingulare quoddam documentum, nempe ad depellendas grauiores tentationes, nullam hominis promptitudinem ſat eſſe, ſi cæleſte ſubſidium deſit.*

Similia habent Theophylactus in Lucam & Euthymius in Matthæum: hi enim omnes Chryſoſtomum præceptorem imitantur. Habemus itaq; hîc in Petro inſigne exemplum audaciæ noſtræ, dùm ſumus extra teli iactum: quibus, ſi conſerendæ ſint manus, deeſt illa animi magnitudo quam præ nobis tolèramus. Caro præſumit, ſed neſcit ſe infirmam, donec tentatio inciderit. Omnis igitur arrogantiæ noſtræ cauſa, eſt propriæ infirmitatis ignoratio.

Ait illi IESVS: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Reprimit IESVS Petri arrogantiam, & quidem aſſeueratione vtitur, vt credat ille euenturum citra dubium, ſubmiſſiusq; de ſe ſentiat, perſuaſus ignotam ſibi ſui animi fragilitatem, poſtquam Dominus hoc affirmet. *Petrus de ardore fidei promittebat*, inquit Hieronymus, *& Saluator quaſi Deus futura prædicebat*: futura enim omnia, etiam contingentia, certiſſimè prænouerat. *Vt Deus* (ait Beda in Lucam) *modum, tempus, horam, ac numerum, negationis prædicit*, vt fidem adhibeat Petrus; q. d. obſerua quod dico, & conſidera quàm cum ſplendidis tuis promiſſis conueniat;

Digitized by Google

res enim ipſa docebit, quàm ſit ſermo tuus verus, *quia in hac nocte, antequam gallus cantet*, id eſt, diu ante noctis finem, nempe ante gallicinium, à quo non niſi aliquot horis abſumus. id eſt, breuiſſimo temporis interuallo; breue tempus opponit ampliſſimæ promiſſioni.

Gallicinium quare dictum item conticinium.

e Mar 13. & 35.

Galli cantus, qui ab hominibus maximè obſeruari ſolet, ille eſt, quem is edit ſentiens lucem propiùs aduentare, à qua ea pars noctis gallicinium dictum eſt, etiam ſacræ Scripturæ vſu,[e] eſtq; initium ferè quartæ vigiliæ noctis, complectentis gallicinium, deinde conticinium, quo & galli conticeſcunt, & quieſcunt etiamnum homines, poſtremò diluculum quo rareſcunt tenebræ. Ideò autem meminit IESVS galli cantus, vt ſignum quoddam Petri animo infigeret, quò reduceret ipſi in memoriam, hanc negationis prædictionem. Dicit ergò IESVS: Me præceptorem & Dominum tuum; quem prædicas adeò conſtanter abs te amari, negabis tibi notum, ac proinde te meum diſcipulum, qui mihi doctrinæq; meæ adhæreas. Non quocunq; modo ſcandalizaberis in me, lapſus ac peccati occaſionem accipies ex me, ſed turpiſſimè: non tantùm fugies & deſeres me, vt alij, verumetiam me meumq; conſortium ac doctrinam tertiò abnegabis: deniq; qui te reliquis præponis, reliquis turpiùs delinques. Reliqui animo vacillabunt, at tu ore tam pertinaciter me coram omnibus reijcies, quàm audacter iam promittis te mihi adhæſurum. Negare grauius eſt quàm ſcandalizari: ſcandalum enim propriè metum & trepidationem arguit, negatio abalienationem.

Petrus fidem ſolo ore negauit.

Atqui Petrus fidem animo conſtanter retentam ſolo ore negauit. Vt hoc detur, quod tamen incertum eſt (veriſimilius eſt enim, quòd & ipſe intus vacillauerit) quantum crimen

crimen ſit vel ore Chriſtum coram hominibus negare, Chriſtus ipſe docet: *a* *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* Prædixerat hoc idem IESVS Petro ante egreſſum è domo, quod conſtat ex Lucâ, *e* & Ioanne, *f* vt notat etiam Euthymius in Ioannem, de quo nos præcedente capite egimus: ſed quia Petrus hoc minùs obſeruarat, vt quod minimè ſibi perſuaderet, repetit IESVS in itinere, illo inanes cogitationes repetente.

Id quale crimen.
d Matth. 10. v. 33.
e Cap. 22. v. 34.
f Cap. 13. v. 38.

Cæterùm non fuit coactus Petrus negare; quia IESVS prædixerat: ſed IESVS, videns futura tanquam præſentia, conſtanter Petro id prædixit, quia certo certius facturus erat, præ eâ quâ ſe laborare ignorabat animi fragilitate. *Inſtruitur ad cauendum* (inquit Ambroſius in Lucam) *non cogitur ad negandum.* Et Cyrillus in Ioannem: *Nullam vim,* ait, *inde Petrus paſſus eſt ſed qui futura ut præſentia videt, quod futurum erat diſcipulo prædixit.* Profuit porrò Petro plurimùm iſta prædictio: illius enim memor poſt peccatum, faciliùs rediit ad mentem, quod manifeſtum eſt ex Matthæo, *g* de quo etiam nos infrà. *h*

Quantum Petro IESV prædictio profuerit.
g Cap. 26. v. 75.
h Cap. 23.

Sentiebat Petrus Chriſtum dicere, negationem huiuſmodi, metu mortis & pænarum, ab ipſo extorquendam, dicit ergò: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Petrus animoſior quàm par eſt, pertinaciter ſe inuictum fore promittit: ſed plena temeritatis fiducia eſt, quia in ſe & teſtimonio conſcientiæ ſuæ confidit, non in gratiâ Chriſti. immo Chriſti verbis plus ſatis audacter contradicit. Non tamen mendacij arguere voluit Dominum (abſit) ſed, quod ait D. Hilarius: *In tantum & affectu & charitate Chriſti efferebatur; ut & imbecillitatem carnis ſuæ & fidem verborum Domini non contueretur.* Fuerant quidem IESV verba clariſſima, adeò vt ſi non præcipitanter ea arripuiſſet,

Petrus adhuc maiora promittit.

ſed

Digitized by Google

ſed prudenter de eis cogitaſſet, facilè animaduertiſſet rem ſeriam dici: atqui, turbatior, imaginatus eſt, non tam prædicentis eſſe quàm comminantis verba, quòd res eo ſtatu forent, quo periculum eſſet ne abnegaret.

Non ergò mendacij inſimulare voluit præceptorem, nec etiam reſponſauit ſtudio contradicendi, verùm vt teſtatum faceret, quàm abhorreret, quàmq; eſſet alienus ipſius animus ab huiuſmodi crimine ingrato ac nefando, perſuaſus facile ſibi fore cauere à ſcelere, quod modò odiſſet. Porrò, quod Chryſoſtomus ait, *Chriſtus ab his paßionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationem (abſit hoc enim) ſed fauorem ſuum ab eo ſubtraxit: & humanam redarguit naturam. Perſpice autem, quomodo poſt reſurrectionem hinc eruditus, ſubmißiùs*

e Ioan. 21. v. 15. 21. 22. *loquitur*, &c. e Quâ de re & Victor Antiochenus in Marcũ: *Tu hîc modò perpende, quàm demiſſus quàmq; modeſtus Apoſtolus Petrus poſt lapſum euaſerit. Qui enim ante caſum nihil non ſibi arrogare audebat, is poſt lapſum contraria ſtudia ſectatus, nihil prorſus ſibi ſed omnia Chriſto Domino tribuebat*, &c. f

f Act. 3. v. 11.

CAP. XIX.

Petrus exerto gladio amputat Malcho auriculam dexteram, ſed mox à IESV prohibetur, & acriter reprehenditur.

IESVS cum diſcipulis transgreſſus torrentem Cedron, ſub mediam noctem, venit in villam Gethſemani, ſitam ad radicem montis oliuarum: & hortum eius villæ, quem conſueuerat orandi cauſâ, ingreſſus eſt. Illic, aſſumptis ſecum Petro & filijs Zebedæi, ſemotus à cæteris Apoſtolis, cæpit maximam animi triſtitiam & anxietatem oſtendere, ita vt

ſudarit

ſudarit aquam & ſanguinem. Precatum ter Patrem, Angelus de cælo confortauit. Ab oratione, obiurgatis dormientibus diſcipulis, prædixit propinquum proditorem. Proditori eiuſq; exercitui profectus obuiam, admiſit ſignum à proditore præſtitum, oſculum. Nec tamen permiſit vt ſtatim comprehenderetur, ſed prius rogatam turbam quid quæreret, vno verbo proſtrauit. Poſtquam ſurrexerant à caſu, & audierant exprobrantem, vetantem ne Apoſtolis nocerent, aliaq; opportuna ingerentem, permiſſi ſunt ipſum comprehendere.

Quod cùm conarentur facere, *ecce* intereà rem inſuetam: non enim conſueuerant Iesvs eiuſq; diſcipuli, ſpectatæ cum eſſent manſuetudinis, gladijs vti aut armis, *unus* eorum *qui erant cum* Iesv, ex vndecim eius diſcipulis præſentibus, Petrus ſcilicet, *cuius ardentiſſimo animo iure iſta res attribuitur*, quod ait Chryſoſtomus. Nam Matthæus quidem ſiluit nomen diſcipuli, quia reprehenſionem à Domino Iesv eſt paſſus. Marcus itidem *reticet nomen Petri*, inquit Theophylactus *ut ne videatur laudare præceptorem ſuum Petrum maioris pro Chriſto zeli*; Ioannes verò explicuit, ad conciliandam hiſtoriæ fidem. Simon itaq; Petrus *nondum manifeſtè*, vt inquit Origenes, *concipiens apud ſe euangelicam patientiam illam traditam ſibi à Chriſto, nec pacem quam dedit diſcipulis ſuis*, ſed audiens quòd Iesvs ſe ipſe traderet hoſtibus accurrentibus, non cõtentus quòd ſibi conſultum ab Iesv eſſet, vt poſſet ipſe cum condiſcipulis abire incolumis, impedire voluit ne præceptor chariſſimus caperetur, *fretus his quæ facta ſunt*, ait Chryſoſtomus, id eſt, ſuperiori illa hoſtium proſtratione opinioneq; quam de Iesv potentiâ non fruſtra conceperat animo. Tradit autem Lucas [a] omnes diſcipulos videntes futurum vt Iesvs caperetur, captiuusq; abduceretur àb hoſtibus, ro-

Inſuetum vt diſcipuli Iesv vterentur gladijs.

a cap. 22. v. 49.

gaſſe eum, zelo defenſionis concitatos, amoreq; ſuppeditante audaciam: Placetné *percutiamus*, ſcilicet turbam hanc irruentem in te vt vim tibi adferat, *gladio*, vt te defendamus? Meminerant abs IESV dictum in cœna: *Sed nunc qui non habet?* &c. *vendat tunicam ſuam & emat gladium*; [b] Sed quia non tam clara ipſis ea verba videbantur quàm deſiderarent, præſertim cùm noſſent vitam ſimul & doctrinam IESV ab omni vſu gladij ac vindictâ alieniſſimam, Rogant quid ſibi faciendum ſit irruentibus iam hoſtibus, teſtantes ſe ad pugnandum & ad vim hoſtium arcendam paratos. Nam quamuis ſe ad reſiſtendum agnoſcant impares, tamen partim confidunt, animati recenti hoſtium proſtratione quam viderant, illos à ſe ſuperari poſſe, modò Dominus annueret, partim corpora ſua pro Domino opponere & ad certam mortem obijcere non dubitant, malentes perire cum ipſo, quàm ſe viuis ac videntibus eum opprimi, tùm quia nouerant manifeſtam ipſi iniuriam fieri, quem conſtabat vitâ & doctrinâ irreprehenſibilem eſſe, tùm quia paulò antè ſponte promiſerant optimo præceptori, ſe potiùs morituros cum ipſo quàm eſſent ipſum deſerturi. [c] Quod ergo tunc polliciti fuerant, nunc præſtare velle videntur, pugnaturi proculdubio animoſiſſimè duobus gladijs quos habebant, [d] & alijs armis quæ furor miniſtraſſet, ſi IESVS permiſiſſet. Atqui nolebat IESVS vt iam pugnando, ſed vt aliquando tolerando, pro ipſo morerentur. Verùm Petrus nimiùm commotus zelo propulſandæ à Domino iniuriæ præſentis, ſui impos, moram non patitur. Non enim exſpectato reſponſo IESV, extensâ manu (nec enim aliter poteſt gladius euaginari) exſeruit *gladium*, (quem vſque hodie in Bambergenſi Germaniæ ciuitate reſeruari tradit Chriſtophorus Veruchinus Medit. 52.) non cultellum, vt quidam interpretantur, ſed gladium

b Ibid. v. 36

c Mar 14 v. 31.

d Luc. 22. v. 38.

Petrus audacior cæteris.

gladium (quo tam cœſim quàm punctim ferire aduerſariorum liceret) quem ſecum ferebat manu brachioue ſiniſtro: nec enim veriſimile eſt, gladio accinctum fuiſſe, quod eorum eſt qui magiſtratum aut militiam profitentur. Quòd gladium habuerit Petrus, Chryſoſtomus cum ſuis, fuiſſe putat ex eo, quod mactauerat agnum paſchalem; Cyrillus verò in Ioannem ſcribens, fuiſſe putat ex conſuetudine regionis, ad abigendas feras aliaq; nocumenta, ſi quæ inuaderent noctu in agris ſub dio cubantes: quemadmodum hodie apud nos moris eſt, vt omnes iter facientes geſtent gladios. At quâcunq; ex causâ fuerint in familia IESV gladij (*ecce enim duo gladij hic,* aiunt diſcipuli apud Lucam [e]) vt certum eſt non fuiſſe pugnandi aut lædendi alicuius causâ, ita vix dubium eſt, quin ſtudioſè nunc huc à Petro cæteriſque diſcipulis allati fuerint, occaſione arreptâ ex verbis illis Domini: [f] *Sed nunc qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*; præſertim cùm intellexiſſent, Dominum hâc nocte prodendum tradendumq; hoſtibus. Hæc Chryſoſtomi ſententia eſt, ſcribentis in hunc locum his verbis: *A cœnâ & menſâ tunc iam exiuerant, ubi propter agnum gladios eſſe oportuit. Illi verò quoniam audiſſent venturos aduerſus eum aliquos eſſe, quaſi magiſtrum defenſuri ſecum gladios acceperunt.* Chryſoſtomum ſequitur Titus. Gladium itaq; aliâ ex causâ comparatum, Petrus ſtudioſè iam ſecum ferebat, vt in arma eum pro magiſtro conuerteret, vt inquam, Dominum eo defenderet, ſi neceſſitas ingruiſſet, aut res ita tuliſſet: id quod ſeipsâ hic monſtrauit, cum percuſſiſſet vi magnâ, zelo iram vireſq; augente, *ſeruum Principis Sacerdotum* Caiphæ, nomine Malchum (quod docet Ioannes. [g] qui nomen exprimit, *vt legentes tunc*, inquit Chryſoſtomus, *poſſent diligentiùs inquirere, an ita ſe res habuiſſet.*

e Luc. 22.

f Luc. 22. & 36.

Petrus percutit Malchum.

g cap. 18. & 10.

Rem enim certam & perſonam notatione cùm opus fuerit docendam, nominis appellatio oſtendit;) qui primus Iesvm aggrediebatur vt caperet. Non enim accidit iſtud poſtquam iam ceperant & tenuerant Iesvm, ſed cum iam ad eum capiendum accederent. Dubium eſſe non poteſt, quin princeps ſacerdotum, cui maximè curæ erat vt Iesvs caperetur, ſeruo ſuo omnium audaciſſimo ſibique addictiſſimo mandârit, vt in primâ acie conſiſtens, ſimulatque Iudas Iesvm oſculi ſigno indicâſſet, imperterritus in Iesvm irrueret (formidata enim erat virtus Iesv, quod diximus) cæterisq; audacter ſequendi exemplum dux animoſus præberet. Id ille cum præſtaret, Petrus, qui Iesv proximus adſtabat, ſe opponens, ferijt eum gladio, *& amputauit auriculam eius dexteram.* Mens Petri erat, vt medium ipſi finderet caput. (quod annotat etiam Chryſoſtomus in Ioannem ſcribens) ac proinde vt interficeret eum: ſed ſeruo ictum declinante, caputq; in ſiniſtram obuertente, ac Deo præſertim moderante manum Petri, gladius in auriculam lapſus eam abſtulit. *Fecit hoc Petrus eodem mentis ardore quo cætera*, inquit Hieronymus, eodemq; zelo quo aliàs Dominum de ſuâ morte locutum increpatat: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.*[b] Memor enim promiſſorum ſuorum fortium, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, neque ſcandalizabor in te,[c] voluit ſe virum præbere; nec veritus eſt armatam hoſtium multitudinem, vtpotè paratus mortem ſubire pro Domini defenſione, ſi opus eſſet: quamquam animatus illâ hoſtium proſtratione quam mox viderat, & quam non ſemel aliàs expertus fuerat, Domini virtute, ſperaret mitiſſimum Dominum, ſuâ animoſitate excitatum adfore, vt ipſe cum diſcipulis illos omnes facilè diſperderet, aut certè cæſis aliquot reliquos in fugam verteret. Atqui non ita ſatisfecit promiſſis ſuis Petrus: non

[b] Matth. 16. v. 22.

[c] Id. c. 26. v. 33. 35.

non enim vitam ſuam periculo debebat exponere, vt liberaret IESVM à captiuitate & morte, ſed vt ipſe fide. fideiq; confeſſione IESV pergeret adhærere.

Interea dùm Petrus hoc ageret, IESVS reſpondens ijs qui ipſum interrogauerant; *Domine ſi percutimus in gladio?* ait: *Sinite vſque huc.* [k] id eſt, non vos moueat id quod futurum eſt; ita vt me gladio defendere conemini, ſed permittite vt vſque huc progrediantur iſti mei inimici, vt hucusq; in me ſæuiant quouſque eis conceſſum eſt; id eſt, vt me apprehendant. Nam & plura mihi ab ipſis patienda ſunt, vt impleantur quæ de me ſcripta ſunt. Neque enim ita intelligendum eſt, *Sinite vſq; huc* quaſi placuerit Domino factum Petri vſque huc, ſed amplius fieri noluerit: cùm ex verbis quæ Matthæus poſuit, intelligatur potiùs totum factum, quo vſus eſt gladio Petrus, Domino diſplicuiſſe. Hæc interpretatio, inter veteres, eſt D. Auguſtini. [l] Porrò vt Petrus percuſſit interea dum Dominus hoc reſponderet diſcipulis; ita Dominus his verbis ad omnes dictis, mox ſubiunxit, ad Petrum conuerſus, ea quæ Matthæus refert Petro dicta fuiſſe: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum*, id eſt, in vaginam reconde, nec vltrà progredere. *Noluit enim perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere, omnes ſanare;* inquit Ambroſius. [m] Deinde ſubiungit: *Omnes enim qui acceperint*, id eſt, vſurpauerint *gladium* vel aliud ſimile inſtrumentum, ſcilicet ad occidendos alios, vt pereant alij; *per gladium enim, omnia arma intelligit;* inquit Euthymius. Porrò accipere gladium dicuntur, qui accipiunt auctoritate propria, non datum aut commiſſum legitimè. Vt autem legitimè ſit commiſſus, & legitimè quis eo vtatur, ad occidendos alios; tria neceſſaria ſunt, auctoritas publica, cauſa iuſta; & iuris ordo. Petro deerat auctoritas, nemo ipſi vſum gladij conceſſerat; non Reſ-

IESVS diſcipulos à ſui defenſione cohibet.

k Luc. 22. v. 51.

l Lib. 3. de Conſ. Euang. c. 5.

m lib. 3. off. c. 4.

Quid ſit gladium accipere.

Tria requiruntur, vt quis legitimè vtatur gladio.

publica, non DEVS, non Chriſtus filius DEI, à cuius cùm doctrina tum exemplo alienus erat vſus gladij. Atqui neceſſitas gladium vnicuique in manus tradit aduerſus inuaſores innocentium. Rectè, ſi inuaſores ſint perſonæ priuatæ: ſed ſi magiſtratus ipſe, qui legitima præditus eſt auctoritate, innocentem opprimat, non eſt priuati gladio vti aduerſus magiſtratum, vt innocentem tueatur: id quod hîc locum habebat. miſſi enim hi fuerant à principibus ſacerdotum & populi, ſuffragante procuratore Cæſaris Pilato. Adhæc non ſuppetebat cuiquam hîc neceſſitas defendendi IESV, tum quia IESVS valebat ſeipſe defendere, & quidem varijs modis, fuga, latebris, hoſtium proſtratione, adeoq; interfectione, ſi voluiſſet (id quod Petrus facilè intelligere debuerat) tum quia volebat IESVS ſeipſum tradere inimicis, & capi, & mori, iuxta decretum Patris, quod Petro cæteriſq; diſcipulis ſæpiùs inculcarat. Nulla igitur legitima auctoritate fultus Petrus cum gladium vſurpet, meritò à IESV reprehenditur. Subdit deindè pœnam, dicens: *gladio peribunt*; id eſt, digni ſunt qui gladio pereant, rei ſunt mortis: qui vſurpant gladium quo pereant alij, merentur vt & ipſi gladio pereant interficianturq;, vltionis talione reciprocante in caput ipſorum. Sententia eſt inter cæteras digna Saluatore, conſona legi illi Naturæ: *a* *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*: quia non tàm prædicitur quid futurum ſit, quam declaratur meritum homicidæ, & ſancitur pœna, qua is plectendus ab ijs ſit, qui gladium non vſurpant, ſed eo à Deo accepto vtuntur. De iure itaque ſermo eſt, non de euentu. Intereà tamen tacitè etiam illud ſignificatur, quòd, etſi non ſemper, plerumque tamen ita accidat, vt homicidæ, ſi non judicium legitimorum, aliorum hominum impiorum vel certè DEI gladio vitam hanc finiant, Deo talionem iuſtè

Pœna illegitimè gladio vtentium.

a Gen. 9. v. 6.

iuſtè procurante. Cæterum non eſt mens Saluatoris, vt prædicat, Petrum gladio periturum, eò quòd gladio abuſus ſit: ſed mens eſt, vt propoſita legis comminatione, abſterreat Petrum ne pergat gladio abuti & conari interficere, ac magiſtratui ſignanter reſiſtere, vt qui nihil aliud ſit profecturus ſi pergat, quam vt legis pœnam & rebellionis notam incurrat, efficiatq; vt tanquam iuſto ſeditionis titulo, etiam in præceptorem ipſum, quaſi qui auctor diſcipulo pugnæ fuerit, ſæuiatur. Huic autem admonitioni cum ſtatim obtemperauerit Petrus, monſtrauit, ſe, non ſuperbia, ſed ſubita paſſione, non cupiditate vindictæ, ſed defendendi innocentiſſimi Domini, denique non odio hoſtium, ſed optimi præceptoris, *quamuis carnali, tamen amore* (quod ait Auguſtinus, [o]) peccaſſe: ac proindè veniam facilè meruit, Domino præſertim damnum reſarciente, aure reſtituta. [p]

[o] *Lib. de agon. Chriſt. c. 29.*

Dum autem IESVS propoſita lege, minaretur Petro gladium vſurpanti aduerſus hoſtes ipſius: multo magis minabatur, quamquam tacitè, hoſtibus ſuis, gladium vſurpantibus aduerſus ipſum: id quod à Chryſoſtomo, Tito, & Theophylacto annotatur. Nam quamquam publica auctoritas illos armauerat: cauſa tamen cum eſſet manifeſtè iniuſta, opprimendi ſcilicet innocentem, adeoque eum qui ſe Chriſtum Filium DEI viui innumeris argumentis probauerat, non vſus ſed vſurpatio gladij fuit. Quare & gladio iſti perierunt, tam qui mandauerant, quàm qui executi fuerunt. *Inſinuat*, inquit Theophylactus, *quod Romanorum gladio perituri eſſent Iudæi, contra ſe gladium accipientes.* Hac itaque ratione IESVS Petrum reuocat ab vſu gladij, quia ipſi illicitus ſit.

[p] *Luc. 22. v. 51.*

CAP.

CAP. XX.

De primâ Petri negatione.

CVm cæteri Apoſtoli alij aliò fugiſſent, Chriſto capto, Petrus dilapſus videtur domum diſcipuli illius qui erat notus Pontifici, quem Ioannes hîc memorat: â quo confor-

Magnus Petri amor erga IESVM.

tatus, recepit animum, vt IESVM vnà cum ipſo ſequeretur, præſertim cum ille ſe notum pontifici aſſereret. *Ingens itaq; Petri ardor fuit*, quod ait Chryſoſtomus, *& in hoc nobis maximâ admiratione eſt reuerendus* (verba ſunt D. Ambroſij) *quod Dominum non reliquit, etiam cùm timeret. Metus naturæ eſt, cura pietatis, alienum quod timet, ſuum quod non fugit: quod ſequitur deuotionis, quod negat obreptionis.* ita Ambroſius Lucam enarrans. Timor itaq; Petrum adegerat vt fugeret: amor reuocauerat vt ſequeretur. Sequebatur autem IESVM, cum abduceretur captiuus *à longè*, eminus, longo interuallo; amori enim adhuc permixtus erat timor, ne ſi propiùs ſecutus fuiſſet, pro diſcipulo agnitus, captus & ipſe fuiſſet cum magiſtro. *Timor retrahit, charitas trahit*, inquit Scholiaſtes ille Marci apud Hieronymum. Tu diſce IESVM, non longè, ſed propè ſe-

Quid ſit aula, ſiue atrium.

qui. Tandem etiam in ipſum atrium (eſt autem aula ſiue atrium prima pars domus, eaq; ampliſſima, partim ſubdialis, quam cortem vocant latini & aream, partim tecta; qualis eſſe ſolet in ædibus Regum & potentum) ingreſſus eſt, faciente diſcipulo illo, qui notus erat Pontifici, quod narrat Ioannes; a ſperabat enim ſe per tenebras non agnoſcendum.

a Cap. 18. v. 16.

Diſcipulus autem ille, IESV nempe (omnes enim credentes in IESVM, diſcipuli vocati fuere, donec Antiochiæ cæpit appellatio Chriſtiani b) permiſſus eſt priùs introire, quia *notus erat pontifici* Caiphæ, frequentans domum illius, nec ingratus: & hâc notitiâ fretus, auſus eſt introire. Non autem

b Act. 11. v. 26.

autem Fortitudinis id fuit aut conſtantiæ, quod introiuit, quaſi defendendi IESV causâ introiret, ſed quia *notus erat pontifici*, confiſus eſt nihil mali ſibi poſſe euenire. Ingreſſus eſt igitur vnà *cum* IESV captiuo & turbâ miniſtrorum *in atrium* tantùm. Nam IESVS ex atrio breui ductus eſt in conclaue, vt ſiſteretur principibus examinandus: diſcipulus autem non auſus in conclaue ſe ingerere, remanſit in atrio.

Quis iſte diſcipulus fuerit, parum quidem refert ſcire, cum Euangeliſta iudicauerit reticendum, ſed non fuiſſe publicum aliquem & manifeſtum diſcipulum IESV, quales erant Petrus & Ioannes Euangeliſta, clarum fieri videtur ex eo, quod notus dicatur fuiſſe pontifici; *Notus* vtiq; non facie duntaxat, ſed conſuetudine & familiaritate, ac proinde gratus (ita vt apud pontificem eiusque domeſticos valeret gratiâ, & facile poſſet aliquid impetrare, quemadmodum Ioannes[c] oſtendit) Quod ſi palam ſe pro IESV diſcipulo geſſiſſet, haudquaquam admiſſus fuiſſet à pontifice ad familiaritatem, aut eâ gratiâ valuiſſet vt à pontifice vel eius domeſticis quidquam poſſet obtinere, aut illi eius gratiâ aliquid fuiſſent facturi, qui IESVM habebant pro hoſte capitali, ac proinde oderant etiam omnes illi adhærentes, quos & communione eijci iuſſerant, quod legimus apud eundem Euangeliſtam.[d] Ac minimè omnium iam, cum IESVS non ſine metu ſummi periculi comprehenſus, recenter adductus eſſet, ageretúrq; de eo interficiendo, diſcipulus ipſius in domũ ipſam in quâ hæc tractabantur admiſſus fuiſſet: immo verò deprehenſus, ſi vel occultè admiſſus, proculdubio vnà cum IESV interfectus fuiſſet, vt inſidiator, qui clancularia ſui ipſius in pontificis aulam intruſione, machinatus fuiſſet ſeditioſam IESV è principum & iudicum manibus ereptionem. hoc enim ſummoperè veritus Petrus, conſtantiſſimè negauit ſe

Quis fuerit diſcipulus iſte notus Pontifici

c Cap. 18 v. 16.

d Ioan. 9 v. 22.

Digitized by Google

Ioannem non fuiſſe, probatur.

uit ſe eſſe IESV diſcipulum. Quare diſcipulus iſte Ioannes ipſe Euangeliſta eſſe non potuit, licet id exiſtimet Chryſoſtomus cum ſchola ſua: is enim iam triennio & eo amplius IESVM ſecutus comes indiuiduus, publiceq́; habitus diſcipulus IESV, non fuiſſet permiſſus frequentare pontificis domum, multoq́; minus gratus, ſed contrà exoſus fuiſſet pontifici & eius familiæ, nequaquam verò jam intromiſſus fuiſſet, etiamſi notus gratusq́; aliquando fuiſſet, quod nec ipſum tamen ſit veriſimile. Solet Ioannes de ſe ipſe loquens, diſcipulum ſe vocare, ſed addere *quem diligebat IESVS*, quod in hac ipſa paſſionis hiſtoria videre licet.[e] Non videtur igitur diſcipulus iſte fuiſſe Ioannes, cui ſententiæ fauet Syrus, uertens, pro eo quod nos habemus *& alius diſcipulus, & unus ex diſcipulis alijs*, q. d. non ex duodecim.

e Cap. 19. & 26.

Nec videtur fuiſſe diſcipulus IESV manifeſtus, ſed occultus, quales plures tunc temporis erant. Quidam conijcit fuiſſe ciuem aliquem Ieroſolymitanum honoratiorem: quid ſi ille fuerit, cujus domi IESVS cœnauerat? fuit enim ille diues ac magnificus[f] & ſimul occultus IESV diſcipulus.[g] Verùm, ut D. Auguſtinus ait, *non eſt temerè affirmandum quis diſcipulus iſte fuerit, cùm taceatur.*

f Marc. 14. & 15.
g Matth. 26 & 18.

Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Remanſerat enim, non auſus ſe ingerere intrò, vel certè excluſus tanquam ignotus. & tamen adhuc permanebat apud oſtium mœſtus, ſperans ſe tandem intromittendum ab altero diſcipulo. Non ſinebat amor ut auelleretur à Domino: non permittebat ſiue verecundia ſiue timor, ut ſe ipſe intruderet, in turba licet. Cùm ergò obſeruaſſet alius ille diſcipulus, quod Petrus, qui ſecum ſecutus fuerat IESVM ad oſtium uſq́;, non introijſſet, cupidiſſimus licet cognoſcendi exitus rerum, cauſam ſuſpicatus, *exiuit & dixit,*

Petrus ab illo diſcipulo introducitur.

Digitized by Google

dixit, id eſt juſſit aut perſuaſit *Oſtiariæ* (ut notus & familiaris eâ in domo) ut introduceret Petrum, *& introduxit* illa *Petrum*.

Solent magnatum oſtia, janitorem habere, qui ingredientes egredientesq; obſeruet : & quidem conſueuerunt ſerui potiùs oſtijs portisq; præfici quam ancillæ, [h] ſed jam fortè ſerui omnes pontificis occupati fuerant comprehendendo & adducendo IESV, ita ut in oſtiarij locum pro tempore ancilla ſubſtituta fuerit. Cùm igitur non quiuis permitteretur domum pontificis ingredi (vt certè periculoſum hoc fuiſſet, tùm quia nox erat, tùm quia magna turba aderat) diſcipulus ille ſuâ gratiâ impetrauit ingreſſum Petro: Sed parum boni præſtitit Petro, etſi ei gratificari voluerit, ut ſæpe parum ſalutaris, ne dicam nociva diſcipulis IESV eſt, familiaritas magnatum. Porrò an diſcipulus ille redierit intrò cum Petro, an verò Petro intrante ipſe exierit, incertum relinquitur (nam ut verbum *introduxit* ad diſcipulum referatur, non ad oſtiariam, haud perinde admittit phraſis hebraica) credibile eſt tamen ruſſus cum Petro intraſſe, tùm vt Petro animum adderet, tùm ut ipſe quoque videret finem. Ruſſus autem hìc argumentum ſuggeritur, quo intelligatur, quod diſcipulus ille alius non fuerit manifeſtus diſcipulus IESV, non fuerit habitus pro diſcipulo IESV: quia ſi huiuſmodi habitus fuiſſet, Petrus qui nolebat agnoſci, eo ipſo proditus fuiſſet, quo ille ſe amicum Petro monſtraſſet: certè famuli & ancillæ non omiſiſſent, quin inter cætera indicia Petro hoc objeciſſent.

[h] *Marc. 13. v. 34.*

Ingreſſus itaq; Petrus *ſedebat* [i] illic *in atrio deorſum*, [k] quod ſ. atrium inferius erat, reſpectu ſcilicet loci in quo IESVS erat, ſiue IESVS fuerit in contignatione ſuperiore, Petrus in inferiore; ſiue potiùs locus in quo IESVS erat & pontifex ſedebat cum ſuis, contiguus, eminuerit duntaxat

[i] *Matth. 26. v. 58.*
[k] *Marc. 14. v. 66.*

Digitized by Google

gradibus aliquot altiùs quàm atrium: cui ſententiæ fauere videtur Matthæus, dum ait, Petrum foris, IESVM intùs fuiſſe. Sedebat autem ad ignem, quem in *medio atrij* [l] accenderant. Intelligit autem atrium qua parte tectum eſt, nam ſub dio non ſtruitur ignis, nec iubentur morari miniſtri, noctu præſertim. Focus autem erat in medio atrij, vbi ſe poſſent hyeme miniſtri, interea dum dominos ſuos operirentur, calefacere, vel immobilis vel aſportabilis. Hic inter miniſtros principum Iudæorum, operientes illic dominos ſuos, in interiori conclaui occupatos examinando IESV, ſedebat Petrus. Nam Romanos milites dimiſerant principes, ſimulatque IESVS ad ipſos adductus fuiſſet. *Non appropinquabat loco vbi* IESVS *erat, ne miniſtris ſuſpicio aliqua naſceretur,* quod ait Hieronymus. Admiſcuit ſe ſcelerato gregi famulorum, gerens ſe tamquam vnum ex ipſis, & audaciam ſimulans ne notaretur. *Quum introiſſet Petrus*, inquit Cyrillus, [m] *ne mæſto vultu condolere capto videretur, ac ita expulſus videre non poſſet quæ vellet, cum miniſtris ſe miſcuit, & quæ illi faciebant, alto corde premens dolorem, facere ſimulat.* Non potuit non eſſe obnoxia periculo, ſocietas improba; & temerarium, inſerere ſe ſodalitio aulicorum pontificis ſcelerati. Hoc autem totum fecit, *ut videret finem*, id eſt, rei exitum, quid nimirum cum IESV acturi tandem eſſent principes, an adiudicaturi eum morti, an in carcerem coniecturi, an flagellis cæſum dimiſſuri, an denique ſe ipſe liberaturus: ut ſi illum audiret damnari, conſuleret ipſe ſibi, (nam in metu erat) ſi verò abſolutum aut liberatum videret, ſe mox ipſi gratulabundum officioſumq; offerret. Non enim dubium eſt, quin pio ſtudio Petrus Dominum huc uſque ſequutus ſit, & quidem non tam curioſitate ductus, quàm amore ſolicito de optimo præceptore: ſed cùm teſtatus eſſet ipſi IESVS infirmitatem ipſius [n] diſerteq;

[l] *Luc. 22. v. 55.* Cum miniſtris ad ignem ſedet.

[m] *lib. 11. c. 42. in Ioan.*

[n] *Matth. 26. v. 31.*

Digitized by Google

diſerteq; affirmaſſet, *Quò ego vado, non potes me ſequi modò, ſequeris autem poſtea*; ° inconſideratè fecit, longeq; ſatius & conſultius ipſi fuiſſet, gemere & precari in obſcuro aliquo angulo, quàm tam malè firmum hucvſq; prodire, & in ipſam impij pontificis aulam ingredi: quàm malè enim ipſi ceſſerit ſimulata hæc animoſitas, mox patebit. Nam cùm ſederet ad ignem, & ſe calefaceret, (*non eſt autem veriſimile*, inquit Cyrillus, p *in tanta mæſtitia, Petrum frigoris remedium quæſiuiſſe, qui multo maiores ita Chriſto vincto voluptates reijceret. Quaſi verò nihil ad mærorem ipſum impelleret, nocumenta frigoris igni cum miniſtris repellit, ut quum unus de domeſticis pontificis eſſe videretur, à nemine interrogaretur quis eſſet*) illum ſic ſedentem ad *lumen*, q *quod reſplendebat ab igne* (inquit Euthymius) aut certè à lucernâ aliquâ (erant enim in atrio illo, non ignis tantùm, ſed & lucernæ complures, credibile eſt) ita ſedentem vt facies eius eſſet obnoxia lumini. Reſplendens enim lumen in faciem Petri, cauſa fuit vt videri poſſet & agnoſci) intuita curioſius *ancilla ſummi pontificis*, quod addit Marcus, & quidem *oſtiaria*, quod habet Ioannes, domini ſui ingenio egregiè reſpondens. *Sed quid ſibi vult quod prima eum prodit ancilla, cùm viri utiq, magis eum potuerint recognoſcere?* rogat Ambroſius in Lucam ſcribens. Reſpondeo, occaſionem fuiſſe, quod ancilla iſta, oſtiaria cum eſſet, intromiſerat Petrũ, quemadmodùm intelligitur ex Ioanne. Sed ita factum eſt, *ut & iſte ſexus*, inquit Ambroſius, *peccaſſe in Domini necem videretur, qua & ipſe redimendus erat.* Habebat certè ancilla illa, cui portæ cuſtodia commiſſa erat, Petrum in oculis, eò quòd illum intromiſiſſet rogatu alterius: diligentiùs itaque illum ad lumen intuita, obſeruauit eſſe vnum ex diſcipulis Iesv, quem aliquando vidiſſet in comitatu Iesv. Poſtquàm igitùr illa Petrum recognouiſſet, dixit primum adſtantibus:

o Ioan. 13. v. 36.

p lib. 11. in Ioan. cap. 42.

q Luc. 22. v. 46

Ab ancillà proditus.

Et hic cum illo erat, ex comitibus hominis illius viliſsimi erat,
r Cap. 22 v. 56. quod legitur ſecundùm Lucam: r deinde ad Petrum conuerſa, *Nunquid*, rogat, *& tu ex diſcipulis es hominis iſtius?* ut eſt
s Cap. 18. v. 17. apud Ioannem s deniq; diſertè aſſeuerauit: *Et tu cum IESV*
t Cap 26. v. 69. *Galilæo eras*, quod legitur ſecundum Matthæum, t & Marcum u: ut ſunt mulieres loquaces, varijsq; loquendi formis
u Cap. 14. v. 67 idem repetunt, id præſertim quod ipſis eſt cordi.

Veriſimile eſt, quòd miniſtris illic ſermo fuerit de IESV ejusq; diſcipulis, quodq; nominauerint atq; irriſerint hos & illos, quos nouerant IESV fauiſſe atq; adhæſiſſe. *Galilæus* autem vocabatur IESVS, in domo præſertim pontificis, & inter inimicos, deſpectionis ac vilipendij causâ, tum ut negarent ipſum eſſe propheram (non enim concedebant ex regione Galilææ quemquam extitiſſe propheram) x tum ut ſeditionis ipſum inſimularent, tamquam ſimilem Iudæ Galilæi, cujus recens extabat memoria, qui cenſum Romanis ſoluendum negans, auerſo populo poſt ſe, malè cum ſequacibus ſuis perierat. y

IESVS cur Galilæus vocatus.

x Ioan 7. v. 52.

y Act. 5. v. 37.

Vt verò accuſauerat Petrum ancilla coram præſentibus omnibus, quibus etiam dixerat, quod narrat Lucas: *Et hic cum illo erat*: ita Petrus negauit coram præſentibus omnibus, qui magno numero erant; & quidem ita clarâ & vehementi voce, ut à pluribus faciliusq; audita fuerit ipſius negatio, quàm fuerat ancillæ accuſatio. *Neq; ſcio neq; noui quid dicas*, inquit Marco referente; ſecundum Matthæum verò: *Neſcio quid dicis*, neſcio quid velis dicere, non enim noui IESVM Galilæum quem memoras. Non ſolum non fui cum illo, ſed nec noui eum, nec ſcio quid verbis tuis ſignificare velis. Habet modus iſte loquendi, ſecuræ negationis emphaſim: ſic enim reſpondere ſolemus, cùm ſignificatum volumus, nos ab eo quod nobis obijcitur, quàm longiſſime abeſſe. Intelligebat Petrus optimè quid

Petrus primò negat IESVM.

Digitized by Google

quid ſibi vellent ancillæ verba: ſed mentiens ea à ſe non intelligi, negat ſe fuiſſe cum IESV, negat IESVM eiuſq; doctrinam ſibi eſſe notam, negat ſe credere in IESVM Chriſtum, ſeq; illius eſſe diſcipulum, deniq; IESVM ipſum quod ad ſe modis omnibus negat, negat inquam vitam, mortem timens. Nec expectat dum hoſtes vi illata mortem intentent, vel dum quæſtionibus ſubijciatur, aut dum ad Pontificis tribunal trahatur: *ad miſeræ viliſq; puellæ verba*, inquit Chryſoſtomus, nec ea aſpera, ad leuem auram & folij cadentis ſtrepitum concidit. Sic euidentiùs oſtenſa eſt hominis ſibi relicti fragiſitas, quando à tam fragili ſexu, qui ſibi tam fortis viſus fuerat, tam citò deiectus eſt: quamquam non tam ancillam ille metuit, quàm miniſtros præſentes, ne ab illis comprehenderetur, & Pontifici concilioq; ſiſteretur, unà cum IESV plectendus morte. Hæc trium prima eſt Petri negatio. *Ecce columna firmiſſima* (inquit Auguſtinus in Ioannem) *ad unius auræ impulſum tota contremuit: ubi eſt illa permittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? ubi ſunt verba illa quando ait* z *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo? Sed quid mirum, ſi DEVS vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit?* Cæterum, etſi ore negauerit, non tamen animo prorſus deſeruit Petrus IESVM, aut rejecit fidem in eum (quamquam potuit vacillaſſe) non enim tam fide defecit, quam fidei confeſſione. Non tamen ideo excuſatur à peccato, & quidem graui, poſtquam docuiſſet IESVS: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt,* a *quamquam ſubita illa conſternatione animiq; perturbatione obcæcatus, Dominicæ illius commonitionis penitus oblitus fuerat*, quod ait Victor in Marcum. *Vbi verò negauit IESVM Petrus? in prætorio Iudæorum, in ſocietate impiorum, ubi difficilis innocentia*, inquit Ambroſius in Lucam. *Quam nociua prauorum colloquia?* ait Beda in Marcum.

z Matth. 26. v. 35.

a Id. 10. v. 33.

Petrus

Digitized by Google

Petrus ipſe inter miniſtros pontificum, vel hominem ſe noſſe negauit, quem inter condiſcipulos Dei filium fuerat confeſſus. Sed hîc meminiſſe oportet, quod ſuggerit Scholiaſtes ille apud Hieronymum, in Marcum ſcribens: *Petrus ſine ſpiritu voci ancillæ ceſſit*; cum ſpiritu, nec principibus, nec regibus cedit.

Cap. XXI.

De ſecundâ Petri negatione.

Videns Petrus non ſatis tutò verſari ſe poſſe in illo famulitio, quin periculum eſſet ne agnoſceretur, cogitauit clanculum ſe ſubducere: cùm itaque egrederetur, vt Matthæus habet *ianuam* non domus, ſed atrij, atq; vt Marcus dicit *foras ante atrium.* q. d. proatrium, in eum locum qui ante atrium erat, in veſtibulum atrij. Hoc addit Euangeliſta, ne quis exiſtimet Petrum domo iam exijſſe, quod demùm fecit poſt tertiam negationem: proaulion enim vocat, locum intrà domum, portæ proximum & ipſi aulæ ſiue atrio oppoſitum; eam atrij partem quæ ſub dio erat, quam nos cortem; veſtibulum, & aream dicimus. Hùc autem exierat quia meditabatur fugam, & moliebatur abitum, quamuis id diſſimularet. Vbi cum eſſet, gallum audiuit cantantem, [b] iuxta prædictionem Domini Iesv, [c] cuius tamen non eſt recordatus, nec priore hoc gallicinio commotus ad pænitentiam, tantus habebat eum pauor. *Significat Marcus* (ait Chryſoſtomus in Matthæum) *quia nec voce quidem gallí in memoriam adductus eſt, nec ſecùnegatione retinuit.* vbi & addit Chryſoſtomus. *Hoc ſolus Marcus ſcripſit, ita exquiſitè explicans, & piam magiſtri ad diſcipulum curam, & imbecillitatem Petri. Vndè maximè ipſum admirari debemus, quia non ſolum magiſtri delictum non occultauit, ſed exquiſitiùs etiam quam cæteri, hoc ipſo quia diſcipulus erat, conſcripſit.*

[b] Marc 14 v. 61.
[c] Ibid. v. 30.

Rurſus

Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla ſ. alia quædam, quod Matthæus habet: atq; ita Marcum ut Matthæo conſonantem interpretatur D. Auguſtinus, [d] quod altera quædam ancilla viderit Petrum exeuntem foras ante atrium. Atqui Syrus addit hîc *ancilla illa*, ita ut de eadem intelligatur, de quâ ſermo fuit in primâ negatione: id quod etiam ſermo Marci potiùs exigere videtur, ſic interpretante Theophylacto, quamquam Victor Antiochenus & alteram interpretationem admittat. Id ergò ſi ita eſt, oportet dicere, aliam quidem ancillam dixiſſe cum Petrus egrederetur, *Et hic erat cum IESV Nazareno*, quod narrat Matthæus: eandem verò quæ primò illum aggreſſa fuerat, dixiſſe cum reverſus ex veſtibulo eſſet Petrus, id quod hîc habet Marcus, *Quia hic ex illis eſt*. Nam *illum*, ſubaudies, ex veſtibulo reverſum: id quod etiam veriſimilius eſt. Non enim cùm exiret ipſe & ancilla loqueretur, ſed reverſus ex areâ in atrium, ex veſtibulo ad focum, quod intelligitur ex Ioanne dicente: [e] *Stabant autem ſerui & miniſtri* (Hoc verò intereſt inter ſeruos & miniſtros, quòd ſerui intelligantur eſſe, qui conditione ſunt tales, miniſtri autem ſeu ypiretai qui ſponte aut mercede ſeruiunt alijs, iudicibus præſertim, quales ſunt apparitores, lictores, &c.) *ad prunas* ſeu ignem ex carbonibus confectum. Huiuſmodi enim ignis fit in atrijs magnatum pro miniſtris, eò quod carbones fumi minus habeant. *Et calefaciebāt ſe, quia frigus erat*: quale ſolet nocte circa æquinoctium vernum. Obſerua Dominū IESVM, frigido noctis tempore, antè in horto oraſſe ſub dio. Congruit porrò frigus noctis, cum extincto Petri mentis ardore. *Erat autem cum eis & Petrus ſtans & calefaciens ſe.* Nam in prima negatione ſedebat Petrus: poſt eam egreſſus atrio & reuerſus, ſtetit ad ignem, & ſecundò negauit, vt poſteà ſequitur.

[d] *lib. 3. de conſen. cap. 6.*

[e] *Cap. 18. v. 18.*

Petrus ſecundò IESVM negat.

Ancilla igitur prædicta reſpondens & ipſa ingenio heri

ſui atq; ancillæ prioris: adeò vt videre ſit totam familiam eorumdem morum, & tales ſeruos eſſe, qualis eſt dominus, obſeruans Petrum cùm egrederetur, confirmauit ſententiam prioris, affirmauitq; miniſtris in medio atrij ſe calefacientibus, planè illum vnum eſſe diſcipulorum IESV, dicens: *Et hic erat cum* IESV *Nazareno.* (*Nazarenus autem* tale cognomen quale Galilæus, omninoq; contemtibile: erat enim Nazareth vile contemtumq; Galilææ oppidulum: atq; adeò iam tum cœperat cognomen Nazareni, apud hoſtes IESV infame eſſe, perinde ac ſi nos diceremus hæreticum, propterea quod IESVM Nazarenum nouæ ſectæ auctorem eſſe dictitarent.) Ipſe inter egrediendum illud audiens, non auſus eſt domo egredi, ne, quod diſſimulabat, repentinâ abitione periculosè proderet, miniſtris ipſum tanquam fugitiuum, & malè ſibi conſcium proſequentibus: ſed in aream dumtaxat egreſſus, & illic paulisper moratus, quaſi aeris captandi cauſâ, mox rediijt & miniſtris iterum ſe iunxit. Illic quodam repetente ancillæ ſententiam, qui obiecit Petro in faciem *pertinaciùs inſiſtens*, vt ait Auguſtinus; *Et tu de illis es.* quod habet Lucas, & alijs quoq; vrgentibus eum, de quibus Ioannes (nam licet Lucas nominatim tantùm viri vnius meminerit, qui etſi fortaſſe ſolus Petrum allocutus fuerit, quia tamen id fecit præſentibus & probantibus multis, rectè multi Petrum hîc accuſaſſe referantur, quia vnus multorum aliorum nomine: *tantumdem autem valuit,* inquit Auguſtinus de conſenſu, *quod de illo coram illo dicebatur, quantum ſi illi diceretur*) *negauit* IESVM *iterum,* id eſt, ſecundò. Hæc diligenter annotata ſunt à D. Auguſtino, f his fere verbis: *Cùm ſurgeret Petrus ut exiret, animaduertit eum altera ancilla, & dixit his qui erant ibi, id eſt, qui ſimul erant ad ignem intus in atrio: Et hic erat cum* IESV *Nazareno. Ille autem qui foras exierat, hoc*

IESVS car Nazarenus dictus.

f lib. 3 de Conſ. Euang. cap 6.

audito

audito rediens, iurauit illis contrà nitentibus, quia non nouit hominem. & paulò poſt: *Liquidò colligitur, collatis de hac re omnibus Euangeliſtarum teſtimonijs, non ante ianuam ſecundò Petrum negaſſe, ſed intus in atrio ad ignem: Matthæum autem & Marcum, qui commemorauerunt exiſſe eum foras, regreſſum eius breuitatis cauſa tacuiſſe.* Hæc Auguſtinus. Primâ itaq; vice, vna ſola ancilla oſtiaria Petrum tentauit: poſterioribus autem vicibus, vt à pluribus impetitus fuiſſe ſignificetur, hinc fit, vt poſteriores Euangeliſtæ alios nominent quàm priores. Preſſus itaque ſecundâ vice à pluribus Petrus, ſimplici negationi addidit iuramentum, quod habet Matthæus. Videns enim quod primæ negationi ſuæ, quæ quidem ſimplex fuerat, fides non adhiberetur, quin plures etiam ipſum accuſarent; vt fidem ſibi conciliaret maiorem, ſecundæ negationi addidit iuramentum: poſtquam ſimplici negatione elabi non potuit, interpoſito iureiurando crimen duplicauit, mendacio in negotio religionis addens periurium. ita ſemel lapſus, in deterius ruit, dum non mox omni modo ſe extricat ex conſortio reproborum. *Peccatum quod pænitentiâ non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit*, ait quodam loco D. Gregorius. Et quidem plus negat, quam opus ſit: non contentus negare ſe ad IESV comitatum pertinere, iurat quod non cognouerit quidem vnquam quis ſit homo ille IESVS. Manifeſtum mendacium, quodq; facilè redargui potuiſſet à circumſtantibus, nimirum adeò ſe ignorantem affirmare, vt ne noſſet quidem hominem illum, qui nulli non in Iudæâ & Galilæâ vel facie vel famâ notus eſſet: niſi tantâ Petrus id adſtruxiſſet deieraſſetque conſtantiâ vel impudentiâ potiùs quanta repreſſiſſet accuſatores, veritus ne, haud hic, ſed alius huic ſimilis, ipſis in comitatu IESV viſus fuiſſet.

Petrus negationi addit iuramentum

CAP. XXII.

De tertiâ Petri negatione.

PAulò poſt interuallo facto quaſi horæ vnius, quod ait Lucas, & annotat etiam Auguſtinus. Veriſimile eſt enim, miniſtros, cùm teſtes producerentur aduerſus IESVM, arrectis auribus ſtetiſſe ad oſtium conclauis, auſcultationi intentos, atque hinc factum vt aliquo temporis ſpacio Petrus liber fuerit ab eorum moleſtatione. Nam contemporaneas fuiſſe, Petri negationem & IESV examinationem, liquet ex Ioanne, hiſtoriam vtramque permiſcente.

Rurſus itaque ex ſtantibus illic in atrio *alius quidam af-*
g Luc. 22. v. 59. *firmabat*, ſocijs ſuis: *Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus eſt*:
vnde factum eſt vt plures ſimul acceſſerint Petrum, eique dixerint: *Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifeſtum te facit*, quod ſcribunt Matthæus h & Marcus. i Hi itaque nouam
h cap. 26. v. 73.
i cap. 14. v. 70.
rationem afferebant, quod Petrus IESV adhæſerit, quaſi dicerent. Nam præterquam quòd multi noſtrûm ex viſu te cognoſcunt, quòd te viderint in comitatu IESV, etiam modus loquendi tuus prodit te, quòd ex diſcipulis IESV ſis. *Non quòd alterius ſermonis eſſet Petrus, aut gentis exteræ*: inquit Hieronymus: *ſed quòd unaquæq; prouincia & regio habeat proprietates ſuas & vernaculum loquendi ſonum vitare non poſſit*. Modus loquendi tuus, aiunt, demonſtrat quòd Galilæus ſis, planè vteris idiomate Galilæorum: ſunt autem omnes Galilæi qui adhærent homini huic, vt & ipſe Galilæus eſt. Petrus exiſtens in conſortio illo miniſtrorum pontificiorum, ne arreptâ occaſione ex taciturnitate ipſius mæſtiore, accuſaretur vt diſcipulus, liberè colloquebatur, credibile eſt, & fabulabatur cum illis, ita vt cæteris argumentis quibus conuincebatur, acceſſerit aliud ex loquelâ. Tametſi enim Galilæi, hebraicè ſiue Syriacè

Syriacè loquerentur, non mitius quam Ieroſolymitæ: erat tamen ipſis alius pronunciandi modus, aliaq; dialectus, vt loquuntur Græci, & quidem durior, quod quidam notant, quam Iudæorum mediterraneorum: præter hoc, quòd vt habitabant Galilæi finitimi gentibus, plura à gentibus vocabula mutuaſſe potuerint. Felix quem loquela manifeſtat diſcipulum eſſe IESV.

Denique his ſe adiunxit cognatus Malchi, exclamans: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* quod refert Ioannes. ^k *Ego* hiſce oculis meis *te vidi* iam ab vnâ horâ aut alterâ *in horto* in quo iſtum apprehendimus *cum illo* tamquam ſocium eius? Parùm aberat quin adderet: Gladio eum defendentem, adeoq; cognatum meum, iuſtitiæ miniſtrum, interficere conantem, amputatâ ei auriculâ? verum non tunc viderat iſte Petrum, cum gladio vteretur (alioqui enim non tacuiſſet) ſed vel antè vel pòſt. Cæterum Petrus, facti illius ſibi conſcius, ſummoperè metuit ne & illud ſibi obijceretur, quod videri poterat crimen capitale. Maximè itaq; preſſus tertiâ hac vice, dum ijs quos memorant alij Euangeliſtæ, qui conuincere ipſum valebant ex propria loquela, accederet iſte cognatus Malchi, cœpit non negare ſolùm & peierare, verumetiam anathematizare & exſecrari ſeipſum: cuius præcipuè rei cauſam vt indicaret Ioannes (quamquam ipſe exſecrationis mentionem noluerit repetere) videtur Petri negationes poſt alios & ipſe recenſuiſſe. *Iterùm ergò* nempè tertiò (falluntur enim qui plus quàm ter, Petrum negaſſe contendunt. Nam quamquam potuit vſus fuiſſe varijs negandi modis, cùm plures ſimul inſtarent ac premerent: quamdiu tamen non fuit niſi vnica ſeries rei geſtæ, tamdiu non fuit niſi vnica negatio) *negauit Petrus* adhibita ſui ipſius exſecratione. *Neque hortus*, inquit Chryſoſtomus, *neq; immenſus amor*

^k Cap. 18. v. 26.

Petrus tertiò negat cum exſecratione.

quem IESVS *illic oſtenderat, verborum eius Petrum admonuit, ſed omnia formidine exciderant. Sed cur Euangeliſtæ omnes in hoc deſcribendo concordarunt? non ut diſcipulum accuſarent, ſed ut nos erudirent, quanti mali ſit non omnia Deo committere, ſed ſibi confidere.* Hæc Chryſoſtomus. Videns Petrus ſe tot argumentis teſtimonijsq; conuinci, metuensq; ne mox comprahenderetur (*En*, inquit Victor in Marcum, *quò alij magis urgent & affirmant, eò Petrus vehementiùs iurat & obſtinatiùs agit*) *cæpit deteſtari* ſeipſum, ſibiipſi malè precari, exſecrationibus ſeipſum deuouere. καταναθεματίζειν. ἀναθεματίζειν vox eſt vſitata Septuaginta Interpretibus veteris teſtamenti & Auctoribus noui, pro hebraicâ *herem*, quâ & Syrus hîc vtitur, quæ propriè quidem ſignificat conſecrationem & deuotionem: ſed quia res DEO deuota & conſecrata, perit eius cuius eſt & cæterorum hominum vſibus, accipitur pro excilione, perditione, & ſublatione ab vſu communi, ac proinde pro re maledicta & exſecrata. Vnde deductum anathematizein eſt deuouere, deteſtari, maledicere, diriſſima & peſſimaquæq; imprecari, *maledictiones inferre*, inquit Euthymius: quod addita altera præpoſitione κατὰ, augere etiam ſignificationem videtur. Significatur igitur Petrus extremis diris ſe ipſum deuouiſſe, Dei maledictionem ſibi ipſi imprecatus eſſe: vt ſi veterum more dixiſſet: *Hæc faciat mihi Dominus & hæc addat, Vt me DEVS perdat, Diſperea m terrâ dehiſcente, ſi noueri m hominem.*

Quid ſit anathema, & de anathematizare.

Cæpit etiam *iurare*, Deum vltorem, & celerem eorum quæ ſibi ipſe imprecabatur malorum inflictorem aduocare, quòd *non nouiſſet hominem*: quòd IESVM illum, non modò non vt magiſtrum, ſed nec vt hominem quidem nouiſſet vnquam. Non negauit ſe eſſe Galilæum (neque enim poterat) ſed hominem illum negauit ſe noſſe, ſplendidiſſimo menda-

mendacio, quòd homo ille nulli non Galilæorum eſſet notiſſimus, apud quos ille maximè fuerat diuerſatus, peragrans ciuitates omnes Galilææ & agros. Ita ſemper creuit cum tentatione peccatum (*perſeuerare quippe in peccato, dat incrementum ſcelerum*, inquit Rabanus in Cathenam adductus) primùm enim ſimpliciter negauit, deinde negationi addidit periurium, periurio denique exſecrationem. Atque hoc quidem idcircò fecit, quòd tertia hac vice maximè premeretur, vt dicere cœperamus, non tantùm multorum obſeruatione ac viſu, verumetiam propria loquela, atque adeò quòd eadem nocte in horto conſpectus fuiſſet, vt narrat Ioannes. Quare veritus ne deprehenſus caperetur vnà cùm Iesv, multorum affirmationi & euidentibus ſignis quibus vrgebatur, oppoſuit diuinum iuramentum & ſui ipſius exſecrationes, quibus corpus & animam ſeque ipſum totum exitio deuouit. *Ecce* (inquit Auguſtinus [l]) *medici completa eſt prædictio, ægroti conuicta præſumptio: non enim factum eſt quod iſte dixerat Animam meam pro te ponam, ſed factum eſt quod ille prædixerat, Ter me negabis*. Permiſit autem Dominus vt laberetur hoc modo Petrus, duas maximè ob cauſas, quas enarrat inter alios Euthymius; Vnam, vt diſceret quam eſſet ipſe fragilis, quàm nihil poſſet ex ſe, ac proinde non ampliùs de ſuis viribus præſumeret, ſed *magnorum futurus operator, modeſtus foret, ac ſui caſus recordatus, Deo rem omnem adſcriberet*. Sic humiliatus eſt præſumtor, qui etiam cæteris ſe prætulerat, vt diſceret humiliter de ſe ſentire, quando à Domino cæteris prælatus foret. Alteram, vt qui foret ſummus Eccleſiæ paſtor, ouium infirmiorum facilè miſereretur, nec eas ſeueriùs tractaret delinquentes, ſed duriorem ſententiam proprij caſus intuitu temperaret. Interim nobis, quibus hic lapſus eſt, conſiderandum relinquitur, quales

[l] lib. 113. in Ioannem.

Cur Iesvs Petrum cadere permiſerit?

quales ante Spiritus ſancti aduentum Apoſtoli fuerunt, & quales poſtquam ex alto virtute induti fuerint, effecti ſint, quod notat Cyrillus in Ioannem ſcribens.[m]

m lib. 12. cap. 1.

Et continuò, adhuc eo loquente gallus iterum cantauit, clamauit, ſonuit, naturæ quidem ſuæ ſatisfaciens, ſed Petrum interim proditi officij admonens. Hæc circumſtantia, hoc conſilio, ita diligenter expreſſa eſt, ab omnibus quatuor Euangeliſtis, vt appareat, IESV quidem prædictionem veram fuiſſe, Petrum autem in ipſo articulo diuinitus fuiſſe admonitum, vt mox reſipiſceret. Quamuis enim turpe ipſi fuerit ter cadere: Dominus tamen pepercit ei, tum linguas hoſtium cohibens ne plures inſultus mouerent, tum galli cantu eum excitans ad pœnitentiam.

CAP. XXIII.

Petrus agnoſcit & deflet ſuum peccatum.

TVnc dum ſcilicet gallum cantantem audiret, *recordatus eſt Petrus verbi* IESV *quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Poſtquam angelus diei clamauit ei, tunc recordatus eſt,* inquit Origenes. Antea præ nimio metu oblitus fuerat & ſui ipſius & verbi IESV: iam demùm *galli cantu admonitus, quaſi à graui ſomno excitatus, ad ſe reuerſus, comperit ſe in illud ipſum malum ac probrum decidiſſe, in quod Dominus ipſum prolapſurum paulò antè denunciauerat,* inquit Victor in Marcum. Quamquam non ſolus galli cantus id effecit, ſed magis reſpectus IESV, cuius meminit Lucas: nam niſi Dominus efficaci contuitu ſuo reddidiſſet eum ſibi, non magis poſterior galli cantus mouiſſet eum, quam prior ille de quo Marcus,[n] poſt quem bis & quidem multo pertinaciùs Dominum negauit. Verba Lucæ ſunt hæc:[o] *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum.*

n Cap. 14. v. 68.

o Cap. 22. v. 61.

Multi

Multi hunc locum intelligunt de corporali conuerſione & reſpectu Domini IESV, ſed minus veriſimiliter. Cum enim Dominus IESVS fuerit intus, Petrus autem foris in atrio (quod ex Matthæo, [p] notat etiam D. Auguſtinus) ſed contigua ſibi mutuo aut certè vicina fuerint, altero dumtaxat aliquot gradibus eminente, [q] neceſſe eſt dicere, fuiſſe à ſe mutuò ſeparata, pariete vt minimum, ne vel conſilia actionesq; principum temerè cuiuis è vulgo paterent, vel tumultus inſolentium atque irrequietorum miniſtrorum obeſſet principibus ſerijs negotijs occupatis. *Nam in exteriore atrio fuit Petrus*, inquit Auguſtinus, *inter ſeruos qui ſimulſe ad ignem calefaciebant: non eſt autem credibile, quod ibi audiebatur Dominus à Iudæis*. Id ergo cùm ita fuerit, non potuit Dominus Petrum oculis corporis adſpicere, niſi dicatur, vel oſtiũ tunc temporis ita patuiſſe, vt id factum ſit, vel Petrum tunc ingreſſum fuiſſe in conclaue, vel deniq; IESVM foras abductum in atrium: quorum nihil eſt veriſimile, nam ante ſui condemnationem IESVS eductus non fuit è conclaui, ac ne quidem ſtatim pòſt: in conclaui autem, vbi principes ſua tractabant negotia, non potuit accidiſſe altercatio illa miniſtrorum & Petri: Denique conſtituto in conclaui, non facilis potuit fuiſſe reſpectus, in amplum atrium, patente oſtio anguſto. Accedit, quod obeſſe potuiſſet Petro reſpectus IESV corporalis, vtpotè quo facilè fuiſſet proditus: prodeſſe autem non potuiſſet per ſe ſolus abſque reſpectu ſpiritali: nam & Iudam reſpexerat IESVS, qui tamen nihilo melior inde redditus fuerat. Quare præſtat ſequi ſententiam D. Auguſtini, [r] & interpretari hunc locum de ſpiritali conuerſione ac reſpectu Domini IESV. Auerſus fuerat Dominus à Petro, cui merito arrogantiæ ſuæ negauerat gratiam quâ tentationibus reſiſteret (id enim, eandem ob cauſam, ſibi accidiſſe

Num IESVS corporaliter Petrum reſpexerit.

[p] Cap 26. v. 69.

[q] Marc. 14. v. 66.

[r] Lib 3. de Conſ. cap 6.

R Dauid

a Pſal. 29. v. 8. Dauid conqueritur: *a Ego dixi in abundantiâ meâ*: &c. *Auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus*, annotante Ambroſio) remiſſo autem rigore illo iuſtitiæ conuerſus reſpexit Petrum miſericordiæ & clementiæ oculis, mentem eius gratiæ ſuæ radijs illuſtrans ſimul & commouens, ita vt ipſi veniret in mentem, quid Dominus ipſi prædixiſſet, & quoties Dominum iam ipſe negaſſet, vtq; peccato agnito ſalubriter pœniteret, neq; diu in peccato maneret. Sic orat Pſalmographus: *a Conuertere Domine & eripe animam meam.* Et rurſum: *a Reſpice in me & miſerere mei. Reſpicit enim Dominus quem ex periculo aliquo vel labore, diuinâ miſericordiâ liberat.* Sic ferè D. Auguſtinus hunc locum explicat. Commendatur igitur hîc & diuinitas & benignitas Domini IESV, quòd abſens, quòd negatus, quòd captus & ligatus, non obliuiſcitur diſcipuli, ſed intuitu pietatis ac gratiæ reſpicit lapſumq; erigit. *O bonitatem* (exclamat Theophylactus) *etiam cum negaretur, non neglexit diſcipuli ſalutem*: *Et ligatus* (addit ſcribens in Ioannem) *adſpexit atq; adſpectu opprobrauit ei infirmitatem, & ad pœnitentiam ac lachrymas excitauit.* Hauſit hoc autem ex Chryſoſtomo præceptore, qui & ipſe in Ioannem his verbis ſcribit: *Tu autem admirare magiſtri curam & diligentiam, quòd captus & ligatus diſcipulo conſulit, intuitu ſuo iacentem excitans & ad lachrymas mouens, nec enim fieri poterat,* inquit Hieronymus Matthæum enarrans, *ut in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.*

a Pſ. 6. v. 5.
a Pſ. 24. v. 16.

Atq; ita recordatus eſt *verbi Domini & egreſſus forâs fleuit amarè. Lapſum enim ſuum,* inquit Chryſoſtomus in Matthæum, *non ante ſenſit, quàm in eum Chriſtus reſpexiſſet, cuius inſpectio vox illi facta eſt. Reſpectus Domini, quaſi vox quædam Domini corripientis, auribus Petri inſonuit,* ait D. Leo.*a* Non eſt enim pœnitentiæ initium, niſi à Domini reſpectu: *quia non ſolum*

a Serm. 3. de Paſſ. Dom.

ſolum cum agitur, verumetiam ut agatur pœnitentia, Dei miſericordia neceſſaria eſt, ait D. Auguſtinus. Ad quem D. Auguſtini locum hîc alludens Beda: *Reſpiciente Domino*, inquit, *Petrus ad cor reuerſus, maculam negationis pœnitentiæ lachrymis tergit: quia non ſolum cum agitur pœnitentia, verumetiam ut agatur Dei miſericordia neceſſaria eſt. Reſpicere namq; eius, miſereri eſt*. hæc ille. In quam ſententiam & D. Ambroſius hoc loco. *Quos* IESVS *reſpicit, plorant delictum*; & alibi: IESV *labentes reſpice, & nos videndo corrige: ſi reſpicis lapſi ſtabunt, fletuq; culpa ſoluitur*. Enchirid. c. 80.

Iam docebat Petrum rei exitus, veracem fuiſſe Dominum IESVM, ſe verò vaniſſimum jactatorem & promiſſorem. Recordatus igitur dominicæ illius prædictionis, cæpit agnoſcere lapſum ſuum, turpem adeò ac fœdum, à quo nec cauerit ſibi, quantumuis à Domino præmonitus, ſed ſtultè confiſus viribus ſuis ingeſſerit ſe vltrò in periculum. Quare *egreſſus foras* extra ſcilicet domum Caiphæ, non ſuſtinens vltrà intereſſe conſortio reproborum, à quibus fuerat ad peccandum impulſus, ſed locum quærens ſecretum, in quo peccatum deflere poſſet. *Nec enim poterat*, inquit Hieronymus, *in atrio Caipha ſedens, agere pœnitentiam*, vbi nimirum quo quiſq; peior erat, hoc ſibi magis placebat. D. Chryſoſtomus annotat, quòd exiuerit Petrus foras, nec palàm flere ſit auſus, ne lachrymis proderetur; rectiùs B. Hieronymus: *Egreditur*, ait, *foras de impiorum concilio, ut pauida negationis ſordes amaris fletibus lauet*. Non enim metus coëgit eum exire foras, ſed animi compunctio, quæ prorumpere volens in lachrymas, quærebat ſolitudinem, vbi non impediretur ab impijs, ſed ſolo Deo & angelis teſtibus, liberè poſſet deplorare peccatum, & veniam rogare: quam ad rem locus publicus haud eſt idoneus. Hæc compunctio, omni metu excluſo fecit, vt nihil veritus ne fugâ quod obijciebatur confiteri videretur, Petrus agnoſcit lapſum ſuum.

quem-

z. Matth 26. v. 72. quemadmodum veritus fuerat priùs; z. incunctanter exierit, foresq́; ſibi aperiri iuſſerit. Exiuit igitur, non metu, ſed iuſto peccati dolore, iuſtoq́; conſortij reprobrorum odio actus. Feciſſet quidem fortiùs ac conſtantiùs, ſi coram quibus negauerat IESVM Chriſtum, coram iiſdem confeſſus fuiſſet, ſeq́; ipſum damnaſſet infidum negatorem; verùm etſi perfectio illa virtutis ipſi defuerit, quæ ante Spiritûs ſancti aduentum non facilè in aliquo reperitur, non tamen defuit virtus, & quidem excellens, quâ reliquit ſocietatem impiorum, vt defleret peccatum in quod ab illis fuerat actus, præſertim cùm iam intelligeret fragilitatem ſuam, quæ cauſa eſſe potuiſſet vt relaberetur, ſi remanſiſſet; cogentibus illis vt tantum ſcelus tueretur: quibus vt peruerſis nullum damnum illatum fuerat eâ negatione, quod reparare eſſet opus. Pudeat ergò Caluinum, qui pœnitentiam Petri ex eo claudicaſſe docet, quòd metu egreſſus fuerit, & vitium adſcribit Petri lachrymis, quibus ille vitia ſua eluit: ſed quare? vt locum hunc Catholicis eripiat; ne ſatisfactione Petrus veniam adeptus fuiſſe videatur, quam paterna Dei indulgentia ſit conſecutus.

Petrus amarè deflet culpam. *Fleuit* itaq; *amarè*, id eſt, grauiter, *examaricans in* pœnitentia fletum ſuum, inquit Origenes, idq́; eò quòd graue agnoſceret à ſe commiſſum eſſe peccatum, tum præſumptuoſiùs contra Domini prædictionem ſeſe efferendo, tum ſæpè adeò ac turpiter contra promiſſionem ſuam Dominum negando. Sed ſciens vnicam eſſe pœnitentiæ viam, quâ cum Domino ſuo redire poſſet in gratiam, fletus imbre extinxit fulmen iræ illius. *Fleuit amarè*: magnâ ſui cognitione inſtructus, magnâ facti pœnitentiâ ductus, magno ob peccatum dolore correptus, magnâ de IESV fide præditus, magnâ diuinæ miſericordiæ ſpe erectus, magno denique amore erga Deum & Chriſtum incenſus: amaræ enim lachrymæ, veram & ſince-

Digitized by Google

& ſinceram atque ex intimo corde profectam pœnitentiam oſtendunt: de quâ D. Ambroſius Lucam enarrans: *Quare fleuit? quia culpa obrepſit ei. Petrus doluit & fleuit; quia errauit ut homo: commune quod labitur, fidei quod pœnitet.* Sed quare non orauit potiùs quàm fleuit? reſpondet: *Lachrymæ lauant delictum: quod voce pudor eſt confiteri. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Inuenio cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Antè flendum eſt ſic precandum.* Hæc Ambroſius aduerſus Caluinum. Commendabilis eſt autem hæc Petri pœnitentia à tribus; vno, quia cita nec in longius tempus dilata; altero, quia prudens, dum euitat relapſus pericula; tertiò quia vehemens, non contenta fletu qualicumq;, ſed amaro. Fletus non eſt quidē prorſus neceſſarius pœnitenti: tamen quem grauiorum ſcelerum ex animo pœnitet, non facile omittet quin amaris fletibus ea in ſeipſo vlciſcatur: cuius rei exemplum nobis hîc reliquit Petrus, qui pœnitentia hac ſua veniam obtinuit, nec tamen aliter quàm paterna Dei indulgentia, quia & ipſa eius pœnitentia gratuitum Dei donum fuit. Niſi enim Dominus gratiæ ſuæ radijs cor eius penetraſſet, tacitoq; afflatu prouocaſſet pœnitentiæ lachrymas, obdu[r]uiſſet in peccatis. Veniam autem obtinuit; qui non inſanabili malitia, ſed infirmitate peccauerat. Libenter enim Chriſto præſtitiſſet debitum pietatis *officium, niſi metu* ſuperatus amor fuiſſet. Paſſus eſt porrò hoc Chriſtus in Apoſtolo ſuo ſelecto, ne quis quamuis grauiter lapſus deſperaret, modò reſipiſceret, & animi maculas ablueret. Exēplum enim omnibus hîc exſtat tum metus tum fiduciæ; metus, ne facile de ſe præſumant, metuentes lapſum; fiduciæ, ne deſperent de venia iam in peccatū lapſi. Hinc beatus Leo: *a* *Ob hoc,* ait, *haſitare permiſſus eſt Petrus, ut in Eccleſiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur: & nemo auderet de ſua virtute confidere,*

Petri lachrymæ docent, quid proſit & poſſit pœnitentia.

a Serm. 9. de Paſſ. Dom.

 fidere,

fidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuiſſet euadere. Id quod latius explicans Euthymius hunc locũ enarrans: *Patiſſimùm*, inquit, *hoc permiſſum eſt, ut peccatoribus clarum eſſet pœnitentiæ exemplum. Si enim cæterorum princeps Apoſtolorum, qui tales virtutes & viderat & fecerat, tandem in negationem lapſus eſt: deinde agnito delicto illum pœnituit, & non ſolùm breui tempore maculam omnem abſterſit, ſed & cæterorum paſtor diſcipulorum creatus eſt, & multorum ac magnorum operator miraculorũ appellatus: nullum qui ceciderit deſperare conuenit, ſed illico pœnitentiam agere, quum diuitias cognoſcat magnitudinis Domini.* Hæc ille, quibus docemur, peccatorem pœnitentem, non ſolùm recipi in gratiam; ſed & ad ſumma euehi poſſe. In quam ſententiam D. Ambroſius Lucam enarrans: *Doce nos Petre,* ait, *quid tibi profuerint lachrymæ tuæ? Sed docuiſti illico: nam qui lapſus es antequam fleres, poſtquam fleuiſti erectus es ut alios regeres, qui teipſum antè non rexeras.*

b Hym. 1 ad Galli cantum. De his tribus negationibus Petri hæc præclarè Prudentius. *b*

Quæ ſit vis huius alitis
Saluator oſtendit Petro,
Ter antequam gallus canat
Seſe negandum prædicans.
Fit namq; peccator priùs,
Quàm præco lucis proxima
Illuſtret humanum genus,
Finemq; peccandi ferat.
Fleuit negator deniq;
Ex ore prolapſum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animusq; ſeruaret fidem.
Nec tale quicquam poſtea
Cantuq; Galli cognito,
Lingua locutus lubricâ eſt:
Peccare iuſtus deſtitit.

CAP.

CAP. XXIV.

Petrus & Ioannes currunt ad monumentum, & non inuento corpore IESV, admirantes redeunt domum.

PRædicta Petri pœnitentia tam grata IESV fuit, vt tertio inde die cùm ab inferis excitatus eſſet & nominatim vni Petro ſe reuixiſſe nunciari voluerit, & ſeipſe illi cùm ſolus eſſet eodem die oſtenderit.

Petro IESVS reſurrectionē ſuam nunciari voluit, eidēque apparuit.

Nam mulieribus ſummo mane ad ſepulchrum profectis dixit Angelus: [a] *Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro,* &c. Vbi Petrum nominatim exprimit, ne ille exiſtimaret ſe ex diſcipulis non haberi, qui præceptorem negaſſet: ne putaret ſe loco excidiſſe, qui turpiter adeo offendiſſet: ſciret contrà, ſe ob pœnitentiam, quæ & Deo placuerit & angelis, in gratiam ac priſtinum inter diſcipulos locum receptum eſſe, ſibiq; proinde vt capiti, cæteros in Galilæam eſſe ducendos. Hac porrò ratione factum eſt, quemadmodum notat Druthmarus, *ut quem fæmina fecerat negare, fæmina faceret confiteri.*

[a] *Marc. 16. v. 7.*

Quòd verò Petro Dominus à reſurrectione apparuerit, legitur apud SS. Lucam, [b] & Paulum; [c] vbi autem & quâ ratione ipſi apparuerit, nuſquam legitur. Quando apparuerit, locus S. Lucæ clarè dat intelligendum, quòd primâ ſabbati: Marcus non minùs clarè docet, quòd poſtquam apparuerat Magdalenæ. [d] Creditur ergò IESVS Petro apparuiſſe, pòſt quidem quàm apparuerat Magdalenæ, priùs verò quàm duobus diſcipulis Emmaunta profectis; nimirùm Petro primò apparuiſſe inter viros, cùm à ſepul-

[b] *Cap. 24. v. 34.*
[c] *1. Cor. 15. v. 5.*

Id quando factum.

[d] *Marc. 16. v. 9.*

à ſepulchro reuerſus, ſolicitus apud ſe æſtuaret, quid factum eſſet de corpore Domini. Nam priuſquam Dominus ſimul omnibus ſe manifeſtaret, oſtendit ſe quibuſdam ſeorſum, vt cæteri horum teſtimonijs inſtructi, faciliùs reciperent reſurrectionis fidem, quando ipſe omnibus eſſet appariturus. Inter viros autem primò Petro apparuit, plures ob cauſas; Vnã, vt conſolaretur, lugentem tam lapſum ſuum quàm mortem Domini; Alteram, vt conſtitutum à ſe Eccleſiæ caput, & amore præ cæteris flagrantem, præ cæteris honoraret. Tertiam, vt Apoſtoli & diſcipuli, qui mulieribus, nunciantibus, Dominum rediuiuum à ſe viſum, non crediderant; Petro, viro graui & auctoritate pollenti, adeoq; primas inter ipſos tenenti, fidem adhiberet; id quod ita accidiſſe docet citatus S. Lucæ locus, vbi diſcipuli mulierum ne mentionem quidem faciunt. Cæterùm non ita intelligendus eſt ille locus, quaſi omnes vndecim & omnes qui cum eis erant, Petri teſtimonio adducti, crediderint IESVM reſurrexiſſe, ſed quòd bona pars eorum. Nam quòd bona itidem pars, corde durior, nec Petri auctoritate perſuaſa ſit, manifeſtè docet Marcus, [e] vbi narrat, quòd neque duobus illis diſcipulis Emmauntinis creditum ab his fuerit, tantum abeſt vt Petro, qui ante hos duos, eam quæ ſibi contigerat viſionem declarauerat. Nam *probabiliter creditur*, quod ait Auguſtinus, [f] *poſteaquam Petro apparuit, deinde apparuiſſe iſtis duobus*. Niſi enim vtrimque ſtetiſſet bona pars, non poterat collegio aut ſocietati adſcribi opinio vnius aut alterius, reliquis apertè refragantibus.

Ob quas cauſas.

e Marc 16. v. 13.

f Lib. 3. de conſ. cap. 25.

Sed hæc per antitheſin relata ſunto, nam ſummo manè illius ſabbati, cum fuiſſet Maria cum ſociabus mulieribus ad monumentum, *cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem amabat* IESVS, *& dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum* [g]

g Ioan. 20. v. 2.

Cæterùm

Cæterùm non ad hos duos ſolùm venit, ſed & ad omnes vndecim Apoſtolos reliquoſq; diſcipulos, *b* ſed hos duos ſolos nominauit Ioannes, vel quia Magdalene his prius quam reliquis loquuta eſt, dum fortè eos ſeorſum reperit, ſermones inter ſe mutuò familiariter miſcentes (vt amabant duo iſti ſe mutuò impenſiùs: *i*) vel quia iſtis præ cæteris res annunciata cordi fuit, ita vt mox ad monumentum excurrerint, prout ſequitur. *Exijt ergo Petrus*, domo quâ latebat cum cæteris diſcipulis, & vrbe, *& ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum*, cognoſcendæ veritatis gratiâ, vt indagarent an ita ſe res haberet, quemadmodùm Magdalena narrabat, corpus ſcilicet Domini ſublatum eſſe è monumento. *Currebant autem duo ſimul ſimili feruore*, inquit Euthymius, *& ſe & cætera deſpicientes*. Currebant verò tum præ ardore rem cognoſcendi, tum vt ante plenam lucem poſſent domum reuerti; *& ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs*, (curſu præceſſit, vtpote ætate iunior, ac proinde agilior corpore, Euthymius, *tamquam robuſtior vigore corporis*) *Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet* (non enim poterat ſepulchrũ inſpici ab erecto, cùm oſtium humile & ſepulchrum profundum eſſet, in modum antri cubicularis exciſum) *vidit poſita linteamina, non tamen introiuit*; ſiue præ timore, ſiue quia videbatur ſibi ſatis manifeſtè vidiſſe, quòd ſepulchrum vacuum eſſet corpore IESV, expectabatq; Petrum, vt tardiùs ſequenti hoc rei nouæ nunciaret. Euthymius: *Non introiuit, tremore detentus, aut his iam contentus. Venit ergò Simon Petrus ſequens eum*, Ioannis inſecutus veſtigia quâ potuit celeritate, *& introiuit in monumentum* audacior pariter & curioſior in veſtigando. Non enim contentus ex Ioanne audiſſe, adeoq; in monumentum proſpexiſſe, voluit omnia accuratiſſimè obſeruare ac ſcrutari. *Petrus feruentiſſimus*, inquit Theophylactus,

b Luc. 24. v. 9. 10. 22.

i Ioan. 21. v. 20. 21.

Petrus cum Ioanne ad monumentũ ſimul excurrit.

Petrus intrat in monumentum.

lactus, *introgreſſus omnia diligenter explorauit. Et vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum,* quaſi ex profeſſo aliquis ſic omnia ordinaſſet, vt nihil eorum, quibus mortuum Chriſti corpus fuerat inuolutum, deeſſe, primo ſtatim adſpectu appareret: & integrum reſurrectionis teſtimonium etiam ex his minutilis traheretur, ablatâ omni adſportati corporis ſuſpicione: quamquam Apoſtoli illud non ſtatim, ſed poſteà demùm intellexerint. Chryſoſtomus & Euthymius illud prætereà colligunt ex ordinatâ illâ funeralium veſtium diſpoſitione, quòd Dominus Iesvs *non perturbatè & feſtinanter, ſed cum auctoritate omniq; ſecuritate ſurrexerit.* Reſurgens exuit funeralia illa indumenta, haud dubium, quæ Angeli ſuſcepta ita diſpoſuerunt, vt teſtari poſſent non ſolùm reſurrectionem, ſed & beatam reſurrectionem, quâ fieret vt nullis terrenis veſtibus haberet opus, immortalitatis gloriâ indutus.

Tunc ergo inuitante Petro (quod notat Euthymius) vt eſſent ambo teſtes oculati, *introiuit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit* cominus, manibusq; ſuis tractauit eadem omnia quæ Petrus, *& credidit* ſicut Petrus. Credidit autem, *non quòd ſurrexiſſet Dominus* (ſcribit inter Græcos Theophylactus) *ſed quòd furto ablatus eſſet: credidit enim Mariæ dicenti, ſuſtulerunt Dominum.* Similiter inter Latinos Auguſtinus: *Non credidit reſurrexiſſe, quem neſciebat oportere reſurgere. Quid ergo vidit, quid credidit? vidit inane monumentū, & credidit quod dixerat mulier, eum de monumento eſſe ſublatum.* Crediderunt quod viſum venerant, adeoq; id quod iam viderant. Mariæ referenti cùm non ſatis crederent, properarant ad ſepulchrum, vt viſerent an ita ſe res haberet. Senſus eſt ergo, ipſos tandem oculis ſuis crediciſſe, teſtantibus Domini

Quid de reſurrectione crediderit Petrus.

corpus

corpus à ſepulchro abeſſe, atque inde collegiſſe, verum eſſe quod Maria nuntiauerat, corpus Domini ablatum eſſe, (credendi enim verbum refertur ad id de quo agitur) nam rediuiuum abijſſe è ſepulchro, non credebant, quia non ſciebant oportere Dominum reſurgere, quemadmodum ſequitur: *Nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Verum eſt quidem, quòd exuuiæ in ſepulchro relictæ & diſpoſitæ ſic fuerint, vt teſtes eſſent reſurrectionis potiùs quàm ablationis: id quod Chryſoſtomus, quem diſcipuli ſequuntur, egregiè declarat his verbis: *Vidit linteamina poſita, quod erat reſurrectionis ſignum. Neque enim ſi qui corpus abſtuliſſent, in corpore nudando operam conſumpſiſſent: neque ſi furati eſſent ſudarium detrahere, & illud inuoluere, & ponere in unum locũ curaſſent, ſed ut erat corpus abſtuliſſent. Propterea prædixit Ioannes, quòd cum multâ myrrhâ eſſet ſepultus, quæ nõ minùs quàm pix corpori linteamina conglutinat.* Linteamina poſita reſurrectionem teſtabantur.

Verum ergo quidem eſt, quòd lintea in ſepulchro relicta potuerint teſtari reſurrectionem: ſed diſcipulorum animi, certâ Domini morte perturbati, id conſiderare non valuerunt, præſertim cùm ſcripturas haud noſſent, vt diximus.

Abierunt ergò (poſtquam ſcrutati fuiſſent ſepulchrum) iterùm diſcipuli ad ſemetipſos; Auguſtinus *ubi habitabant & unde ad monumentum cucurrerant.* Itaq; cùm certum nihil, niſi de corporis abſentiâ haberent, quod veriſimiliter iudicarent ablatum eſſe: non audentes nimiam eo in loco moram trahere, redierunt, inter ſe mirantes quod factum fuerat (id quod de Petro Lucas narrat [k]) redierunt inquam domum ad condiſcipulos, quibus narrauerunt, inuentum à ſe eſſe, IESV corpus non eſſe in ſepulchro, in quo conditum fuerat, [l] rei exitum in quiete & ſilentio exſpectantes. [k] Luc. 24. v. 12. [l] Ibid. v. 24.

CAP. XXV.

Petrus cum aliquot condiſcipulis videt IESVM ad mare Tiberiadis, ibidemq́ cum eo eſt pranſus.

APoſtoli & diſcipuli Domini, profecturi in Galilæam, cùm eſſent multi numero, diuiſerunt ſe per contubernia, veriſimile eſt, & alij poſt alios venerunt, eò quòd nec expediret tantam turbam vno ſimul loco videri, nec poſſent omnes eodem vno vti hoſpitio. Septem verò illi, quos Ioannes [a] enumerat, videntur ex primis aduenisse, & Capharnai aut Bethſaidæ, quæ ſunt oppida Galilææ adiacentia mari Tiberiadis, hoſpitati fuiſſe in domo Petri.

a Ioan. 21 ℣ 2.

Nam *erant ſimul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Dydimus & Nathanael qui erat à Canâ Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum.* Petrus alijque Apoſtoli, ab officio piſcandi piſces, vocati ad officium piſcandi homines, [b] nihil contra vocationem commiſerunt, quando hac opportunitate ad piſcandum piſces redierunt. Quamuis enim eſſent ad munus piſcandorum hominum vocati & deſtinati, nondum tamen emiſſi. Intereà ergo, dum Chriſtum Dominum in monte Galilææ videndum exſpectarent, vt eius conſpectu frui, mandata eius exciperent, agunt quod ſolebant, & piſcationi ſe addicunt, tum vt otium vitent, tum vt de victu neceſſario ſibi tunc proſpiciant abſq; ſumptibus aliorum, minimè verò lucri gratiâ, vel ſpretâ vocatione, aut prioris vitæ pænitudine ducti, arti ſe illi totos rurſus addicant. Quare D. Auguſtinus in hunc locum ſcribit: *Reſpondendum eſt, non eos fuiſſe prohibitos, arte ſuâ, licitâ ſcilicet atque conceſſâ, victum neceſſarium*

b Matth. 4. ℣ 19. Luc. 5. ℣. 10.

Apoſtolis non prohibita fuit piſcatio poſt vocationem.

ſarium quærere, ſui Apoſtolatus integritate ſeruatâ, ſi quando unde viuerent aliud non haberent. Adde quod Euthymius ſcribit ſecutus Chryſoſtomum: *Nam cùm neq; ſemper cum eis eſſet Saluator, neque alius aduenißet paracletus, neque perfectè eis commiſſa eſſet prædicatio, cùm nihil eſſet quod agerent, reliquo tempore piſcabantur, priorem exercentes artem, quamquam non amore lucri, ut priùs.*

Et exierunt & aſcenderunt in nauim, commodatò acceptã, nam proprias naues iamdiu reliquerant. *c Aſcenderunt* autem ſub veſperam, adducti ſpe, faciliùs capiendi piſces nocte: quòd nocturnum tempus ob quietem opportunius capturæ ſit, ſtrepitu namq; & adſpectu hominum territi piſces aufugiunt. c Matth. 4. v. 20 22. Nocturnum tempus piſcationi accommodum.

Et illâ nocte nihil prendiderunt, fruſtrâ laborarunt, ita diſponente diuinâ prouidentiâ, quò locus daretur miraculo: qui minùs datus fuiſſet, ſi piſces aliquos nocte cepiſſent: nam in continuo ſucceſſu non ita clarè innotuiſſet Chriſti virtus. *Facta eſt diſcipulis piſcationis magna difficultas,* inquit Gregorius,[d] *ut magiſtro veniente, fieret admirationis magna ſublimitas: Manè autem facto ſtetit* IESVS *in littore: non tamen cognouerunt diſcipuli quia* IESVS *eſt,* ſiue ob lucem adhuc ancipitem, ſiue ob interuallum longius, maximè verò quia ipſe noluit ſtatim cognoſci, qui ex miraculo agnoſci voluit priùs quàm ex formâ, vt ſuauiùs ſui notitiam in animos eorum imprimeret. Corpus glorioſum, præſens, ſicut faciente animâ poteſt non videri, ita eâdem faciente poteſt etiam viſum non cognoſci, prohibente nimirùm animâ, ne effigies corporis emittat omnes ſpecies neceſſarias ad hoc vt corpus certò dignoſcatur, quemadmodum alibi legitur:[e] *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* d Homil. 24. IESVS quare à diſcipulis non ſit cognitus. e Luc. 24. v. 16. & 31. Ioan. 13 v. 14.

Dixit ergò eis IESVS: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?*

Pulmentariū quid ſit.

Pulmentarium vetus latina vox eſt, vſurpata pro cibo delicatiore, qui ad pultam, quâ Romani loco panis vtebantur, addi conſueuerat & intriti: ſucceſſit vox opſonium à Græcis mutuata. Quia autem ad panem præcipuè addi conſueuerat piſcis, qui ſimplicitate & facilitate coquendi, reliquis opſonijs antecellit: hinc factum eſt, vt & pulmentarium, & opſonium, pro piſcibus accipiatur. Apparuit Iesvs ſpecie viri grauioris: itaque alloquitur eos tamquam inferioris ordinis homines, operarios inquam, artem ſeruilem obeuntes, num quid piſcium ceperint, tamquam mercator qui emere ab ipſis piſces vellet. *More hominis loquitur*, inquit Chryſoſtomus, *ac ſi empturus eſſet aliquid ab eis*. Similiter autem intelligit piſces: nam quid cibi à piſcatoribus piſcando occupatis niſi piſcis petatur? Sub ſpecie emendi piſces, ſermonem cum diſcipulis miſcet Iesvs, vt ex eorum reſponſo miraculi occaſionem captet. *Reſponderunt ei: Non.* Simpliciter & præcisè reſpondent, tamquam ignoto: non enim permiſit Iesvs ſonum vocis ſibi familiaris integrè ferri ad aures eorum, & prius hîc voluit miraculo cognoſci quàm ſenſu viſus vel auditus quod iam diximus. Interim cogit eos fateri inopiam ſuam, vt attentiores faciat ad miraculum, & ex eorum reſponſione conuenienter conſulat. Non exprimunt quòd totâ nocte infelici piſcatione ſint vſi: nolunt illud homini ignoto declarare, vt diximus. Sed Dominus mox indicat id ſibi non eſſe ignotum: & reddens ſe illis familiarem, tamquam amicus conſilium dat, non imperans, ſed conſulens vt vnus quiſpiam è populo, nam *dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis*, capietisq; pulmentarium ſeu piſces, quos hactenus non potuiſtis.

Iesvs diſcipulos alloquitur, & non agnoſcitur.

Conſilium dat.

Dextera nauigij pars ea eſt, quam gubernator in puppi ſe-

pi ſedens clauumq; tenens habet à dextris. Certam nauigij partem deſignat, vt ne fortuitò locutus videatur, ſed vt præſcius futurorum. *Expreſſè ad dexteram iacere præcepit,* inquit Euthymius, *ne fortuita videretur captura. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Paruerunt iubenti: nam tædium fruſtrà hactenus ſumpti laboris, & auiditas capiendi, ſuadebant, ad dictamen huius viri, eiuſq; corda eorum occultè incitantis, vnum adhuc iactum experiri. Atque ita naturâ comparatum eſt, vt ea conſilia quæ vera eſſe cupimus, facilè ſequamur. Proiecerunt ergo rete ad latus nauigij dexterum, *vel ſimpliciter obtemperantes, vel arbitrati ſigno quopiam illum noſſe, piſces aliquos ibi natare,* inquit Euthymius. Et mox vt proiecerant, non iam ampliùs, *valebant illud trahere,* ſurſum in nauim, *præ multitudine piſcium,* quibus erat onuſtum. Dominus qui iuſſerat rete expandi, ſi non formauit nouos piſces, certè coegit ſubitò eius loci piſces vndequaque in rete imperio ſuo. Hac re quaſi ſigno quodam, prædixit fore breuî, vt expanſo reti euangelico ſub ipſius auſpicijs, Apoſtoli multos homines è mari huius ſæculi feliciter piſcarentur. *Dixit ergò diſcipulus ille, quem diligebat* Iesvs, *Petro* familiari ſuo, quem ſciebat maximo Iesv amore teneri: *Dominus* (ſic conſueuerant Apoſtoli nominare Iesvm) *eſt,* vir ille qui ſtat in litore, iuſſitq; expandi rete.

Dextra nauigij pars qualis.

Magna piſcium captura.

Ioannes Petro Iesvm indicat.

Primus Ioannes agnouit Dominum Iesvm, idque ex miraculo captorum piſcium; eò quòd, vbi priùs nulli piſces capi potuerant tota nocte; illic manè, tempore minùs opportuno, quando piſces defugiunt, non procul à litore, capti fuerint tot tantique, ſimul atque eiectum eſt rete ad iuſſum promiſſumq; illius. *Ex proſpero euentu illud intellexit,*

inquit

inquit Euthymius, *& quòd tamquam ex illius iuſſu piſces concluſi eſſent.* Vt enim familiaria fuerant Iesv ante mortem huiuſmodi miracula, & nominatim ediderat ſimile piſcium captorum miraculum initio vocationis ſuorum, *f* ita collegit Ioannes, Iesvm, quem à morte rediuiuum iam aliquoties conſpexerat, etiam huius miraculi eſſe auctorem, ſignanter diuinâ accedente illuminatione. Ac fieri potuit, hoc miraculo motum Ioannem, attentiùs conſideraſſe vultum habitumq; Iesv, & viciſſim Iesvm permiſiſſe, vt integra ſui corporis ſpecies illius oculis obijceretur; ac proinde Iesvm, qui priùs noluerat agnoſci, cognoſcendum ſe etiam hac ratione præbuiſſe primò Ioanni, vtpote *diſcipulo quem diligebat.*

f Luc. 5. v. 6.

Vnde Ioannes Iesvm agnouerit.

Simon Petrus, cùm audiſſet ex Ioanne, quòd Dominus eſſet ille qui in litore apparebat: facilè hoc idem perſuaſus, ex conſideratione præſentis miraculi, quod priùs cùm eſſet totus in negotio concludendi attrahendiq; retis, animo minùs perpenderat. Mox, inquam, *omnibus reiectis & piſcibus & reti,* quod ait Chryſoſtomus, *tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim nudus)* id eſt quaſi nudus, ſolis ventre & genitalibus velatis, illo ſubuculâ, his ſubligaculo. Hoc ergo modo cùm nollet apparere coram Domino, ſuperinduit, ſubuculæ & ſubligaculo ſuperiniecit, tunicam canabinam, eamq; fune conſtrinxit ad renes. In quem ſenſum ſcribit Theophylactus: *Ob reuerentiam induit ſe ependytem, hoc eſt enim ſuccinxit.* Petrus enim ingreſſus eſt nauim indutus cinctusq; ependyten ſeu tunicam nauticam, quam dum ſe parat ad piſcationem exuit, vt eſſet expeditior ad laborem, & rurſùs induit cinxitq;, reſumpſit inquam, ad Dominum properans, vt honeſtiùs veſtitus accederet.

Petrus quanto deſiderio ad Iesvm feſtinauerit.

Ependytes tunica nautica.

Et miſit ſe in mare. Subaudit Euangeliſta, vt eò citiùs Domini conſpectu & præſentiâ frueretur, præ amoris & deſiderij

ſiderij magnitudine moras nauigij non ſuſtinens. *Succingendo ſe, reuerentiam oſtendit*, inquit Theophylactus: *mittendo autem ſe in mare, declarauit deſiderij magnitudinem; non enim exſpectat, ut alij, ſed natans aduenit. Non vidiſſe contentus* (inquit Ambroſius ſub finem explicationis in Lucam) *impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, ubi Dominum vidit in litore, veſte ſe texit, & periculoſo compendio religioſum maturauit obſequium, ſerum æſtimans ſi cum cæteris nauigio perueniret* certè ſingulari ardore ante alios progreſſus eſt, vbique ſimilis ſui. Quare ſcribit in hunc locũ Chryſoſtomus: *Cùm cognouiſſent Dominum, proprios mores referunt Petrus & Ioannes; ille feruentior, hic altior erat; ille vehementior, hic perſpicacior: ideò Ioannes prior agnouit* IESVM, *Petrus prior ad eum properauit.*

Peruenit autem ad IESVM, natando, quod audiuimus ex Theophylacto ſecuto Chryſoſtomum & Nonnum; alij dicunt, vadando. Sed veriſimilius eſt, partim natando, partim vadando marinum hoc iter confeciſſe: nam propè à litore credibile eſt vadum fuiſſe, ac proinde pedibus inceſſiſſe: vbi autem nauis occupabatur capiendis piſcibus, crediderim mare altius ſtaturâ hominis fuiſſe, ita vt pedes permeare nequiuerit. Vt autem peruenit ad Dominum IESVM, non dubium quin Dominus IESVS mox propriam faciei corporiſq; ſui formam ipſi retexerit, & ille recognitum pronus adorauerit, & exclamauerit exemplo Thomæ, *Dominus meus, & Deus meus*, quem videre, cuius præſentiâ frui mihi datur.

Petrus partim natando, partim vadando ad IESVM peruenit.

Alij autem diſcipuli nauigio venerunt, trahentes rete piſcium: non enim longè erant à terrâ, ſed quaſi cubitis ducentis. Cubitus eſt ſeſquipes, paſſus minor ſeu vulgaris eſt duorum pedum & dimidij, ſicut paſſus maior quinq; pedum. Quare cubiti ducenti efficiunt trecentos pedes, paſſuſq; vulgares centum

Quid cubitus, paſſus maior, & minor?

Digitized by Google

viginti. Non eſt illud quidem iter per ſe longum, ſed tamen huiuſmodi, quod ducat in profundum mare.

Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem, omnia neceſſaria ad prandium, quæ non ipſi eò attulerant, ſed Dominus, intereà dùm ipſi in mari piſcarentur, immensâ potentiâ ſuâ, citra hominis alicuius operam, illic præparauerat, nouo miraculo, vel ex nihilo creata (vt ſentit ſchola Chryſoſtomi) vel, quod eſt veriſimilius, ex adiacente aëris terræ aliaúe materiâ formatâ, vel deniq;, quod minimum eſt, Angelorum miniſterio aliunde huc iuſſa adferri. Sed quo fine hæc? vt ſuis, labore & inediâ confectis, prandium opportunè pararet: & ditiſſimam prouidentiam ſuam, in quam ſecurè liceret recumbere, oſtenderet, vt cui plurimi ſuppetant modi, etiam inexſpectatiſſimi, proſpiciendi ſuis, ſiue è terrâ, ſiue ex cælo aut aliunde. Deniq; declarauit, quòd quamuis rogaſſet ipſe eos, num quod pulmentarium haberent, non ideò tamen rogaſſe, quòd aut ipſe indigeret, aut, ſi indigeret, opus haberet ab ipſis petere, aut è mari exſpectare; poſſe enim ſe & piſcem, & panem, & ignem, & quicquid velit, vndecumque excitare.

Prunæ & piſcis ſuperpoſitus vt de cò deuenerint.

Dicit eis Iesvs: *afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc*, vt ſcilicet igni impoſiti aſſentur & parentur ad prandium. *Aſcendit Simon Petrus*, vbique primus & promptiſſimus ad obſequendum Domini iuſſui, *& traxit* ipſe vt nauarchus ſeu dux, ſed adiutus à ſocijs, *rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete* nec pondere nec inſolentiâ piſcium elabi conantium, nec violentiâ trahentium in terram *Non quòd eſſet forte*, inquit Euthymius *ſed quòd Dominus etiam illud fortificaret* Acceſſit & hoc ad augmentum miraculi. *Dicit eis* Iesvs: *Venite, prandete.*

Petrus vbique primus & promptiſſimus.

dete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt. Et venit IESVS, *& accipit panem, & dat eis & piſcem ſimiliter*, dedit obtulitq; eis quantum vellent.

IESVS cum diſcipulis manducauit.

Non enim quòd parcè ſuppeteret ſiue panis ſiue piſcis, partitus eſt: ſed egit vt paterfamilias pro veteri more, vt & hinc agnoſceretur, atque eò manifeſtiùs, quòd & ipſe ex eodem pane & piſce guſtaret. Nam quamquàm Ioannes hoc expreſsè non dicat, ſatis tamen intelligendum dat ex circumſtantijs, & Interpretes pleriq; omnes docent. Sæpiùs enim Apoſtolos cum Domino IESV à reſurrectione comediſſe clarum eſt.[g]

[g] Act. 1 v. 4. & 10 v. 41.

Cur potus nulla facta mentio.

Dicat aliquis, nullam hîc fieri mentionem potus. Reſpondeo, non opus fuiſſe potum miraculo procurare, qui præſens ſuppetebat è vicino mari, quem lacum fuiſſe aquæ dulcis ac potabilis, omnes tradunt. Noluit IESVS delicatè tractare ſuos in hac vitâ, quam decet temperantia: genimen illud vitis nouum reſeruauit regno Patris ſui.[h]

[h] Matth. 26. v. 29.

CAP. XXVI.

Confirmatur Petro à IESV primatus totius Eccleſiæ.

Cùm ergò prandiſſent IESVS & ſeptem eius diſcipuli, antequam à loco prandij diſcederent (à refectione enim non minùs quàm ante tradit tractatq; IESVS diuiniſſima myſteria, non hîc ſolùm, ſed & alibi: quia refectio corporis moderata non inidoneos reddiderat diſcipulos ad excipienda ſpiritualia) *dicit*, reliquis præſentibus & audientibus, etiã ijs qui aliquando primas ambierant, *Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his?*[a]

[a] Ioan. 21 v. 15.

IESVS cur Petrum *Simonem Ioannis* appellet.

Alloquitur Petrum IESVS, vſus nomine eius proprio, iuncto cum nomine patris, non ſolùm vt Petrus, memor ori-

Digitized by Google

ginis ſuæ & tenuis conditionis, caueat iactantiam in ſublimem elatus locum: verùm etiam vt intelligatur, quòd Petrum peculiariter alloquatur, non reliquos diſcipulos, & ipſum non reliquos præficiat Eccleſiæ ſuæ. Quemadmodùm ergò anteà, [b] ſub hoc nomine promiſit ei dignitatem fundamenti Eccleſiæ & claues regni, vbi ait: *Beatus es Simon bar iona*, &c. ita nunc ſub eodem nomine dat ei claues, & conſtituit eum fundamentum, caput, ac paſtorem totiùs Eccleſiæ ſuæ. Non autem rogat tamquam ignarus quid in Petri pectore lateat: ſed quòd penitus infixum velit Petri aliorumq; animis, ſummâ erga Iesvm charitate opus eſſe ei qui gregis illius curam ſuſcipiat.

b Matth. 16. v. 17.

Paſtoris munus quam difficile.

Principiò enim munus paſcendi per ſe laborioſum eſt ac moleſtum, quando ſcilicet nihil difficilius eſt, quàm homines aſſiduè docere & continere ſub iugo Dei, quorum alij infirmi ſunt, alij leues & proterui, alij tardi & ſegnes, alij duri & parùm dociles: ad hæc ſatan quaſcumque poteſt offenſiones ingerit, quibus frangat boni paſtoris animum vel debilitet: huc accedit multorum ingratitudo, denique aliæ tædij cauſæ.

Numquam ergò in hoc officio conſtanter perget, niſi in cuius corde ſic regnabit amor Chriſti, vt Chriſti cauſâ omnia impedimenta ſuperet, & ad exemplum Apoſtoli charitas Chriſti, eum vrgeat. [c]

c 2. Cor. 5. v. 14.

Et hinc patet, quòd Petrum ſingulariter alloquatur, dum ab alijs eum ſecernit. Sumpſit autem occaſionem interrogandi eum an plus cæteris diligeret, ex eo quòd iam eius rei ſpecimen dediſſe videbatur, quando reliquis nauigio venientibus, ipſe, vt citiùs Domino adeſſet, in mare ſe proiecerat: rurſus quando ad iuſſum Domini, primum ac promptiſſimum ſe præbuerat ad attrahendum rete in terram:

Digitized by Google

ram: *Ardore namq́, Chriſti præcipuo feruens*, ait Cyrillus, *præueniebat alios, & ad faciendum & ad reſpondendum paratiſſimus erat.* Dat ergò intelligeudum Chriſtus reliquis diſcipulis præſentibus, & quòd à Petro plus quàm ab ipſis diligatur, & quod meritò eum cæteris præficiat, qui cæteris plus diligat: decere enim, vt qui omnibus alijs Chriſti diſcipulis præficiendus eſt, Chriſtum plus quàm alij omnes diligat.

Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Tu ſcis, non eſt iurantis, & IESVM, quem Deum eſſe credebat, in teſtem vocantis, ſed confidenter aſſerentis ſe amare, ſic vt non dubitet quin Dominus IESVS id nouerit. q. d. Non dubito quin te amem, ſed tu meliùs me noſti interiora mea, idcircò tuo iudicio, quod falli non poteſt, ſto. Qui priùs contradixerat Chriſto, nec prædicenti futura adhibuerat fidem, *d* quam multùm mutatus ab illo, non audet, interroganti abſoluté reſpondere, nec quod in ſe experiebatur omnino affirmare, ſed certius Chriſto quàm ſibi iudicium defert. Petri reſponſio, quam cauta. *d Matth. 26. v. 31.*

Petrus ergò reſpondet IESV quòd amet ipſum, ſed non quòd plus cæteris. Dixerat temerè aliquando: *e Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor*, ſed cautior factus euentu, non iam ampliùs alijs ſe præfert, at humiliter de ſe ſentiens, modeſtè reſpondet id quod conſcientia ipſi de ſe dictat, de alijs tacet, *qui cor alterius videre non poterat*, quod ait Auguſtinus. *f* Nam de aliorum animis iudicare, ſuũ non eſſe fatetur, qui didicerat nec ſeipſum quidem ſibi ſatis notum eſſe. Sciebat quidẽ Dominus, quòd plus cæteris diligeret: ſed non idcircò interrogauerat eum vt id confiteretur, verùm vt probaret eum, id eſt, alijs notum faceret, quàm eſſet mutatus animo, & humilior cautiorq́; factus, & intelligerent, quòd meritò eum cæteris paſtorem præficeret, qui plus cæteris quidem diligeret, ſed præ modeſtia neſciret, *e Matth. 26. v. 33.* *f tract. 1. 24.*

Digitized by Google

Dubium. quemadmodum mox diximus. Atqui hîc oritur quæſtio. Si Petrus plusquam alij diligebat Iesvm, quare Ioannes ſingulariter vocetur diſcipulus quem diligebat Iesvs: videtur enim potiùs Petrus ſic vocari debuiſſe, cùm æquum ſit, eum qui plus diligat, viciſſim plus diligi. Solutio. Dicendum videtur, ſermonem eſſe potiſſimùm de exterioribus dilectionis officijs, quando Ioannes plus diligi inſinuatur, non quòd Iesvs Ioannem æſtimaret aut faceret pluris Petro. Sic videmus patres plus diligere, & plus beneuolentiæ monſtrare erga filios iuniores, quàm erga primogenitum, immò faciliùs corripere & increpare hunc quam illos, tametſi hunc pluris faciat.

Dicit ei Iesvs: *paſce agnos meos*. Infert enim hoc ex verbis Petri, quaſi dicat: Ego ſcio quòd ames me, vt profiteris, & quidem plus his, quod profiteri non audes: igitur quia amas me, paſce agnos meos: oſtende hunc tuum amorem in paſcendis agnis meis; ex hoc apparebit quòd ames me, ſi paueris agnos meos. Promiſerat antè [a] Petro claues regni ob excellentiam fidei: nunc tradit eas, ob excellentiam amoris: vtraque enim virtus eximiè requiritur in eo qui alijs omnibus præficitur, & fides & charitas.

[a] *Matth. 16. 17.*

Boni paſtoris officia.

Porro paſtoris boni erga oues officia ſunt, prouidere pabulum, præire, reducere, caſtigare, quæ infirmæ fuerint curare, quæ perierint requirere, à lupis defendere, animam pro eis ſi opus eſt ponere: quæ in ſacrâ Scripturâ [b] exactè deſcribuntur, relata tamen ad rationalium ouium ſpirituale regimen, quale & hîc Petro committitur: vbi paſcere eſt, pabulum verbi Dei & ſacroſanctæ Euchariſtiæ subminiſtrare, infirmos confirmare, ſaucios pænitentiæ Sacramento ſanare, errantes reducere, ne exerrent leges dare, exemplo vitæ præire, aduerſus lupos etiam cum vitæ periculo tueri, &c. quæ omnia à Petro hîc exigit Chriſtus, cùm dicit

[b] *Pſal. 23. Ezech. 34. Ioan. 10.*

Paſce

Digitized by Google

Paſce ſeu paſtorem age: quod quamquam ſit verbum præcipientis, propriè tamen intelligendum eſt eſſe poteſtatem atque autoritatem dantis, paſtorem ordinantis & conſtituentis. q. d. Eſto paſtor qualis Petrus manſiſſet, etiamſi (quod abſit) paſcendi præceptum non obſeruaſſet. Chriſtus enim, quamuis propriè ſit vnicus Eccleſiæ Paſtor, quem Paulus, *magnum paſtorem ouium*, [i] Petrus *paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum & principem paſtorum* [k] vocant: tamen quia hominum operâ vtitur ad paſcendum ſuos, paſtoris quoque nomen cum illis communicat, vt & pleroſque alios titulos ſuos.

i Heb. 13 v. 20. k 1 Pet. 2. v. 25. & 5. v. 4.

Agni Eccleſiæ quales.

Paſce agnos meos, id eſt, eos omnes & ſingulos qui in me credunt aut credituri ſunt (non enim de ſolis præſentibus agit) qui ouili ſeu Eccleſiæ meæ per Baptiſmum fuerint inſiti: quos agnos vocat blandiore vocabulo, vt maiore cum amoris ſignificatione eos Petro commendet: præ ſe ferunt enim agni amabilem quamdam ſuauitatem; ſic alibi [l] Apoſtolos vocat *filiolos ſuos*. Cæteroqui & ſimiles ſunt agnis boni Chriſtiani, tum propter vitæ nouitatem (exuerunt enim veterem hominem) tum propter innocentiam morum, tum denique propter ſequelam & imitationem ipſius Chriſti, qui Agnus eſt Dei, & ſuo ſuos nomine honorat. Habet autem ſingularem emphaſin, quòd dicat *agnos meos*, quos ſcilicet chariſſimos habeo, quos vt meipſum diligo, quos acquiſiui ſanguine meo; [m] fecit enim nos peculium ſuum, redemptos pretioſo ſanguine *quaſi agni immaculati & incontaminati*. [n] Paſce ergo illos, inquit, & quidem vt meos, vt rem meam tracta, non vt tuam. *Oues meas, ſicut meas paſce*, ſcribit Auguſtinus, *non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum; non tuum; lucra mea, non tua*; ſalutem ipſorum, non propriam vtilitatem tuam.

l Ioan. 13. v. 33. m Act. 20. v. 28. n 1. Pet. 1. v. 19.

Erga

Digitized by Google

Erga hoste præbe, qualem ego me præbui erga vos; hoc erit perfecti erga me tui amoris argumentum. Luculenter oſtendit, quanti faciat ſalutem ſuorum, dum ita ſingulariter eos Petro commendat, vt eos quaſi in locum ſuum ſubroget, & omnem qui erga ipſum geri poſſit amorem, in eos velit transfundi.

Iesvs ſecundò cum Petrum interrogat.

Dicit ei iterùm: Simon Ioannis, diligis me? Iam non ampliùs addit *plus his*: quia iam Petri humilitas refugientis comparationem, ſatis nota condiſcipulis eius erat. *Ait illi* fiduciâ bonæ conſcientiæ: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.* Secundò rogauit Iesvs Petrum an amaret, & ſecundò onus paſcendi impoſuit ei, confirmandi totius negotij causâ, vt ipſe & præſentes omnes intelligerent, quàm ſeriò hoc onus & munus ipſi eſſet impoſitum, & quàm conſtanti ac probato amore adhibito obire illud deberet.

Item & tertiò.

Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me?

Petrus quare contriſtatus.

Non fuit indignatus, quòd Dominus Iesvs primo & altero ipſius verbo contentus non eſſet, ſed turbatus, & veritus vt reſponderet quod res eſſet. Quamuis enim ſibi conſcius eſſet, quòd vehementer Dominum amaret: tamen poſt tam magna promiſſa non ita pridem ter abnegatus ab ipſo Dominus, faciebat vt ipſe ſibi diffideret. Metuebat enim Iesvs, cui abdita cordis ſui meliùs perſpecta nouerat, quàm ſibi ipſi, noſſet in ipſo aliquem amoris defectum, quòd vel non amaret Iesvm vt oporteret, vel quòd in amando Iesvm non eſſet perſeueraturus: quemadmodùm ſub mortem Iesv, pollicenti: *Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire*, prædixerat Iesvs id quod & euenerat: *Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me*; [a] igitur ſimile quid iam veritus triſtatur. Cæterùm non quod fidem abrogaret

[a] Luc. 22. v. 34.

Petro affirmanti ſe amare, tertiò repetijt IESVS quæſtionem amoris: ſed ob cauſas quas mox dicemus, quas poſteà longo vſu expertus Petrus, didicit non fruſtrà tale de ſe examen habitum fuiſſe.

Reſpondit ergò ei Petrus, ſincerè quidem, ſed timidè: *Domine tu noſti omnia*, quippe Deus, etiam ſecretiſſima cordium, nihil te latet: quamobrem non eſt opus, ut verbis meis certior fias an amem te: quia tamen ex me vis audire, non poſſum aliud dicere ex dictamine conſcientiæ, quàm quòd non dubitem, quin tu qui omnia noſti, etiam hoc noueris quòd amem te. *Cùm tertiò interrogatus eſſet Petrus* (ſcribit Theophylactus) *turbatus eſt, ne fortè ipſe quidem exiſtimaret ſe diligere, non diligeret tamen: nam & priùs cùm multa ſe poſſe arbitraretur atq; aſſeueraret, conuictus eſt. Illud itaque etiam nunc metuebat, & propterea verecundè reſpondet dicens: Domine tu omnia noſti, tum præſentia tum futura: tu ſcis quòd nunc te amen, ut mihi quidem videtur. Cæterùm an etiam in poſterum permanſurus ſit amor, & hoc quoque tu noſti: ego de me non affirmo.* Hæc Theophylactus Chryſoſtomum præceptorem ſecutus.

Petri reſponſum ex dictamine conſcientiæ.

Iam ſi cauſa quæritur, quare tertiò Petrus interrogatus fuerit an amaret Dominum: reſpondent plerique, vt trinæ negationi opponeret trinam amoris profeſſionem. Sic inter Latinos Patres Auguſtinus: *Redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſeruiat quàm timori.* Inter Græcos Cyrillus: *Iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, ut terna negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.*

Cur IESVS Petrum ter interrogârit.

Hæc cauſa vera eſt hactenùs, quòd trinâ illâ ſuâ interrogatione alluſiſſe videatur Dominus ad trinam Petri negationem: ſed non eſt cauſa eâ ex parte, quaſi Dominus voluiſſet Petrum trinâ confeſſione amoris, abolere peccatum trinæ abnegationis, ac ſi adhuc obnoxius illi peccato fuiſſet,

quod volunt huius ætatis hæretici. Iam dudum Petrus lacrymis & pænitentiâ peccatum illud deleuerat, iam pacem Chriſti ſibi apparentis & ſeorſum, & vnà cum reliquis diſcipulis exceperat, iam inſufflante Domino Spiritum ſanctum, auctus fuerat ipſe inter alios Apoſtolos, diuinâ illâ poteſtate remittendi retinendiq; peccata. Non erat opus, vt nouâ amoris confeſſione deleret crimen quod lachrymis dudum abluerat, & poſt quod in gratiam receptus cum reliquis Apoſtolis digna fuerat auctoritate ornatus. Non eo reſpexit Chriſtus, qui, vt Chryſoſtomus annotat, *nec exprobrat nec meminit negationis*. Nam ſi eò præcipuè reſpexiſſet, contentus fuiſſet audiſſe ex Petro, ſemel & iterùm & tertiò *Domine tu ſcis quia amo te*. Verùm non hîc ſtetit, nec hoc contentus fuit: ſed ſingulis proteſtationibus ſubiecit: *Paſce oues meas*. Quàre indicauit, quòd Petri amorem ſtrictè adeò examinaret, non tam ſuâ aut Petri causâ id facere, quàm ouium ſuarum, quarum curam vellet Petro vnicè commendatam. Hæc fuit cauſa toties exacti amoris. Nam ex hoc Petri antecedente *Amo te*, infert tertiò hanc eamdem concluſionem *Paſce oues meas*: vt ſignificet, ad paſcendas rite oues ſuas, Petro opus eſſe non vulgari, ſed firmo, ſtabili, exquiſito, explorato, perfecto deniq; erga Iesvm amore. Ternarius enim numerus perfectionis ſignificationem habet. Vnde etiam tertiò repetens *Paſce oues meas*, declarat hanc conſtantem eſſe voluntatem ſuam, & conſilium definitum, vt Petrus ſuſcipiat curam omnium ouium ipſius; adhæc, negotium iſtud rem eſſe ſummi momenti, quæ maximè ſibi ſit curæ & cordi. In hanc ſententiam ſcribit Chryſoſtomus: *Quid tandem alijs omiſſis de his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apoſtolorum, & princeps, & vertex ipſius cætus, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit, p ſimul ut ei oſtenderet jam ſibi fiduciam habendam: tamquam*

Ternarius numerus perfectionem ſignificat.

p Gal. 1. v. 18.

quam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat; tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quam in omnibus dilectionem oſtendiſti, & quâ delector, nunc oſtende, & animam quam pro me poſiturum te dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. & paulò pòſt: *Ter autem interrogat, & ſemper idem præcipit, ut demonſtret, quanti ouium ſuarum curam faciat, & quod maximum ſit amoris argumentum.* Similiter Euthymius: *Chriſtus ternâ vice interrogans & idem iubens, manifeſtat ſe maximi facere præſidentiam ſuper diſcipulos ſuos, & hanc omni curâ ducit maiorem.* hæc ille.

Amorem igitur quem à Petro ter exigit IESVS, ad curam ouium ſuarum refert: & eſt ac ſi dicat: Si amas, vt dicis, ergò paſce; vel, Quia amas me, ideò committo tibi paſcendas oues meas. *Oues.* Mox dicit *agnos*, nunc dicit *oues*, eosdem intelligens, fideles ſcilicet ſeu credentes in ſe, cuiuſcunque ſint ætatis, ſexus, nationis, conditionis, ſiue iuuenes ſiue ſenes, ſiue viri ſiue mulieres, ſiue Iudæi ſiue Græci, ſiue diſcipuli ſiue magiſtri: omnes enim oportet vt referant manſuetudinem ſimplicitatemq́; , tamquam oues Chriſti. Nam & quòd non definit has aut illas, ſed addit *meas*, abſolutè & indiſcretè, annotante D. Bernardo q vniuerſos intelligit, quæ meæ ſunt (æquipollet enim *meas* notæ vniuerſali *omnes*) quicumque mei ſunt aut erunt, quicumque in me credunt aut credent, nemine excepto, etiamſi paſtores & tecum Apoſtoli ſint. Qui Petrum non agnoſcit paſtorem, non eſt ex ouibus Chriſti. *Oues* autem *meas* & *agnos* cùm dicit, quid aliud dicit quàm gregem meum, quàm ouile meum (de quo loquitur alibi r) quàm Eccleſiam meam ſeu cætum credentium in me? Vniuerſam igitur Eccleſiam ſuam,

Oues Eccleſiæ.

q lib. 2 de conſid. cap. 8.

r Ioan. 10 v. 16.

Digitized by Google

quaquauerſus per orbem terrarum diffuſam ſeu diffundendam, Chriſtus hîc Petro committit paſcendam, hoc eſt, *docendam regendamq́*, vt Auguſtinus exponit. Quare & Chryſoſtomus hîc, orbis terrarum curam Petro à Domino demandatam ſcribit; & Iacobum quidem Ieroſolymis ſedem habuiſſe ait, Petrum autem totius orbis magiſtrum præpoſitum. Quem ſecutus Theophylactus inter alia annotat: *Cum prandendi finem ipſe feciſſet, totius orbis ouium præfecturam Petro committit, non autem alij, ſed huic tradit.* Verùm non ita intelligendum hoc eſt, quaſi vnus ſolus Petrus per ſe paſcere, docere, regereq́; omnes poſſit: ſed quòd quicumq́; alij paſcunt, ſub eo tamquam ſub uiſibili capite paſcere debeant, & eum in hoc negotio principem ſummumq́; paſtorem agnoſcere. *Propterea enim inter duodecim unus eligitur* (quod ait Hieronymus,) *ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Relicturus igitur terram Chriſtus & rediturus ad Patrem, reliquit Eccleſiæ ſuæ in terrâ Petrum vicarium ſuum, quod ad uiſibilem & exteriorem gubernationem. Cùm autem vellet Eccleſiam ſuam in terrâ permanere uſq́; ad conſummationem ſæculi, Petrum autem vellet non ita diu viuere; quin aliquos poſt annos ſuâ morte glorificaret Deum (ut proximè ſequente capite dicemus) intelligendum dedit, ita Petrum vicarium ſuum à ſe Eccleſiæ ſuæ datū, ut etiam legitimos eius ſucceſſores: ne quando Eccleſiæ ſuæ viſibili in terra caput viſibile deeſſet. Legitimi autem Petri ſucceſſores, ſunt Romani Pontifices, vſque in hodiernum diem.

Sub Petro tamquam capite cæteri paſtores.

lib. 1 in Iouin. cap. 14.

Matth. 28. v. 20.

Petri ſucceſſores legitimi ſunt Romani Pontifices.

CAP. XXVII.

Petro martyrium & mortis genus à IESV prædicitur.

Quia

QVia contriſtatus fuerat Petrus, veritus ne, quemadmodum ante mortem Iesv, negando Iesvm aut certè deſerendo, excideret amore Iesv: conſolatur eum Iesvs, & prædicit quòd adeò conſtans futurus ſit, vt pro ipſius Iesv amore & gloria, eiusq; ouium ſalute, vt gneſius diſcipulus & bonus paſtor, mortem ſubiturus ſit, & reipſa perfecturus, quod aliquando temerè promiſerat: *Animam meam pro te ponam.*[a] Quare Iesvs, in primis oſtendit, quòd non diffidens interrogauit Petrum, ſed planè ſciens quòd diligeret, quod notat Theophylactus. Deinde confirmat veram eſſe Petri reſponſionem quod obſeruat Cyrillus. *Nam qui pro nomine Chriſti moriturus nuntiatur; is ſupremo amore ipſius affici comprobatur.* Deniq;, quod ex Chryſoſtomo Theophylactus excerpſit, *Petri deſiderium excitans & inflammans ad martyrium, iſta dicit Ieſus.* Cæterùm ne primâ ſpecie perterreret Petrum mortis prædictione, utitur allegoricis verbis: *Amen amen dico tibi, cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis.*[b] Quibus verbis indicatur Petrum iam mediæ fuiſſe ætatis, quod obſeruant Græci: mortuus eſt autem quadraginta circiter annis poſt hæc verba, Paulò ante excidium Ieroſolymorum. Cùm ergò ſenueris contrariâ omninò ratione tecum agetur ac in iuuentute, ut ſolet. Quemadmodum enim ſenes; non ualentes ſe ipſi veſtire & cingere, extendunt manus ac brachia ut ab alio induantur veſtem, eaq; cingulo corpori eorum adaptetur: ita tu ſub extremum vitæ tuæ extendes manus & brachia, & alius induet te veſtem, ſed duram veſtem crucis, eamq; adſtringet & adaptabit corpori tuo, manibus confixis clauis ferreis. De crucis enim ſupplicio locum hunc intelligunt veteres omnes Tractatores, Græci & Latini, inter quos Tertullianus ſub finem Scorpiaci: *Tunc,* inquit,

a Ioan. 13 v. 37.

Iesvs allegoricè Petro mortis genus prædicit.

b Ioan. 21. v. 18.

Digitized by Google

Petrus ab alio cingitur, cùm cruci adſtringitur.

Rurſum quemadmodum ſenes non valent ambulare quò volunt, niſi ab alio fulciri ac ducti: ita tu eo tempore ab alio duceris, ſed non quò tu vis, ſed quò ille voluerit, immò quo tu non volueris; abhorrentem enim ducet agetq; in mortem. *Quò tu non vis,* addit, non quod Petrus inuitus pro Chriſto ſit mortuus, ſed quod voluntate naturali abhorruerit à morte, quam voluntate rationali libenter ſubierit, quia ſciebat ita Deo placere. Hoc idem accidit ipſi Chriſto.[c] *Nolens ad mortem venit,* inquit Auguſtinus, *ſed volens eam vicit. Quid ſignificat, Quò tu non vis?* rogat Chryſoſtomus, *Naturæ affectum,* ait, *& carnis neceſſitatem indicat, & quòd anima inuita corpus relinquit: & licet voluntas conſtans & firma eſſet, natura tamen imbecilla. Nemo enim ſine dolore à corpore diſſoluitur, diuinâ hoc utiliter diſpenſante prouidentiâ, ne multi violentam mortem eligerent,* &c. *Quare nemo ſanctorum ſponte patitur,* quod addit Cyrillus. Subaudit autem Iesvs: idq; meâ causâ, quia conſtanter diliges me, & gnauiter paſces oues meas, quas commiſi tibi. *Amor in eo qui paſcit oues Chriſti,* ſcribit Auguſtinus, *in tam magnum debet creſcere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem quo mori nolumus, & quando cum Chriſto viuere volumus.*

c Matth. 26.v. 39.

Allegorica Christi verba Euangeliſta interpretatur.

Porro hæc allegorica Chriſti verba interpretatur ipſe Euangeliſta ſcribens:[d] *Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte* (cruce ſcilicet, quam & ipſe Dominus eius iam paſſus fuerat. Nam extenſio manuum, cum alterius cinctione coniuncta, periphraſis eſt crucis. Atque intellexit hoc Petrus, quin & reliqui diſcipuli, quod paulò pòſt manifeſtum fit) *clarificaturus eſſet Deum.* Deum moriendo glorificare, eſt nomen, veritatem, & voluntatem eius mundo huic & ipſi quoque præſenti vitæ præponere, malleq; extrema pati, quàm à

d Ioan 21.v.19

Digitized by Google

veritate ut voluntate Dei deficere. Hoc fecit Petrus. Ne enim ignominioſam aut vilem haberes eius mortem, vocat eam Euangeliſta gloriam Dei. *Nihil enim, qui Petrum occiderunt, criminis in eum inferebant*, inquit Cyrillus, *niſi fidem & pietatem in Chriſtum*. Actus in crucem fuit, quia reprobatâ idololatria & plurium deorum cultu, vnum Deum prædicabat, & quem ille miſiſſet Filium, IESVM, qui ſua morte mundum redemiſſet. Hanc fidem perſuadebat quibuſcunque poterat, & perſuaſos iam credentesque in Deum & Chriſtum, confirmabat & continebat in ea fide, ſimul & ad virtutem omnem ſecundùm legem Chriſti erudiebat, iuxta illud quod ipſi iniunctum fuerat paſcendi munus. Hanc ob rem à tyranno captus, dum maluit mortem pati quàm officium prodere; teſtatus eſt reipſa, hæc adeò certæ & ſtabilis eſſe veritatis, vt ipſe ea omnibus mundi rebus adeoq; vitæ ipſi præferat, & ab omnibus præferenda iudicet, quæ eſt gloria ſingularis, & eximius in primis honor ac cultus Deo & Chriſto à Petro tributus. Sic enim manifeſtauit & confirmauit veritatem à Deo acceptam, vt etiam mori pro eius ſoliditate, & ſanguine eam ſuo obſignare, vir innocens non dubitaret. Quare Petrus cruci affixus.

Hoc igitur modo Petrus per mortem ſuam clarificauit Deum. Nec minùs ſeipſum clarificauit: vt enim gloria eſt Dei, quod talem habeat famulum; ita gloria eſt eius qui occiditur, quòd pro Deo moriatur (annotat Euthymius) cuius promiſſio eſt, *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum*. Qua enim morte martyres Deum glorificant, eadem fit vt ipſi viciſſim à Deo æternâ gloriâ glorificentur. Quomodo Deum clarificauerit. 1. Reg. 2. v. 30.

Et cùm hoc dixiſſet IESVS, ſurrexit à loco conuiuij & parans abitum dicit Petro: *Sequere me*. Quod verbis dixerat, facto etiã voluit ſignificatũ, q. d. Sequere me nũc greſſu pedũ corporis, quod tibi in ſignũ ſit eius ſequelę, qua poſteà, vt prob⁹ vicarius IESVS Petrum ſe ſequi iubet.

& verus

& verus paſtor, ſequêris me in cruce pro me meisq; ouibus ferendâ. Quare Euthymius ſcribit: *Cùm ergo tam præceptor quam diſcipuli deambularent, dixit ei: ſequere me, ut videlicet etiam crucifigaris & æqualem ſuſtineas mortem.* Et Euthymio vetuſtior Cyrillus: *Subijcit, Sequere me: quod verbum etſi communiter intelligi poteſt, ut tamquam diſcipulus doctorem ſequatur: ſubænigmaticè tamen oſtendit, veſtigia & paſſionem Chriſti Petro ſequendam eſſe: ut per eamdem viam, opere ſimul atque ſermone vocatorum animas iuuans, ad crucem usque proficiſcatur.* Hæc Cyrillus. Confortat ergo Petrum Chriſtus exemplo ſuo ad mortem viriliter ſubeundam, dum ſe ducem ipſi in ferendâ cruce proponit.

Petrus intelligens quid ſibi vellet Iesvs, præeuntem proximè eſt ſecutus, non tantùm pedibus, ſed & animo imitandi genus mortis eius, paratum ſe exhibens ad omnem Iesv voluntatem. Dùm ſequeretur autem, *conuerſus* reſpexit retrò, vt videret an & alij diſcipuli ſequerentur: ipſi enim ſoli iuſſerat Iesvs vt ſequeretur, *vidit* autem inter alios *illum diſcipulum, quem* præ cæteris, *diligebat* Iesvs *ſequentem* ponè, fortè vt ſe quoque paratum oſtenderet ad mortem pro Iesv ſubeundam. Nec enim reliquis diſcipulis prohibuerat Iesvs ne ſequerentur: quamuis voluiſſet vt Petrus proximè ſequeretur. Secuti ſunt ergo & ipſi, vel præ deſiderio fruendi præſentiâ Domini Iesv, quamdiu liceret, veriti, ne inopinatiùs euaneſcens ex oculis eorum, ſubito ab ipſis auferretur.

Petri ſolicitudo pro Ioanne.

Hunc ergò cùm vidiſſet Petrus, cæpit quæ dicta ſunt mente reuoluere, quàm charus ſemper fuiſſet Ioannes Iesv, & quam familiarem ſe ei reddere conſueſſet Iesvs, ac proinde mirari, quod ſolus ipſe à Iesv vocaretur, omiſſo Ioanne, quod non & Ioanni, ſicut ipſi, Iesvs aperiret quæ eſſent ei euentura, & ad ſequelam ſui eum quoque vocaret. Nam quod occidendum ſe pro Chriſto, Chriſtiq; mortem imitaturum,

ex

ex Chriſto iã intellexerat, glorioſum hoc ſibi ducebat Petrus, & magnum amoris erga ſe Chriſti indicium: ſolicitus igitur de Ioanne, ex amore quem erga eum Chriſti causâ gerebat, *& arbitratus Ioannem velle quidem ſed non audere de ſe tunc ſciſcitari*, quod notat Chryſoſtomus; ſumptâ fiduciâ ex ſuperiore cum IESV colloquio, rogat ipſe de Ioanne, &: *dixit* IESV: *Domine hic autem* chariſſimus diſcipulus tuus, qui ſimili te mecum dilectione complectitur. q. d. Iam ſcio te declarante ex peculiari erga me amore, quòd te per mortem crucis ſecuturus ſim: hic autem diſcipulus, quem ſemper præ alijs amaſti, *quid* ſ. paſſurus aut facturus eſt?

Interrogatio admodum generalis: ſed ex ſequentibus patet, quòd de genere mortis ſeu morte quæſierit Petrus, quaſi diceret, iuxta Euthymium: *Num & ipſe te ſequetur? num eâdem nobiſcum viâ gradietur? num ſimiliter morietur? ſiquidem intellexit quid innuiſſet dicens, Sequere me: cumq́; Ioannem vehementer amaret, cupiebat eum æqualis mortis aſſumere conſortem* ſic Euthymius. Quem vitæ habebit exitum, ait, quâ morte terminum huius vitæ claudet? Numquid ſocius mihi erit in morte, vt fuit in vitâ. Declara, obſecro, quod genus mortis hic quoq; pro te ſubiturus ſit? *Hunc ita Domino dilectum cùm reſpexiſſet Petrus*, ſcribit Cyrillus, *ſtatim rogauit quis vitæ terminus illi immineret.*

Dicit ei IESVS: *Si ſic eum volo manere donec veniam*, id eſt, donec redeam, ad iudicandum ſcilicet viuos & mortuos (nam de ſecundo, id eſt, glorioſo aduentu ſuo loquitur, interprete Euthymio) vt vel tunc demum moriatur, paulo ante iudicium meum, vel abſque omni morte, me iudicante, ad gloriam regni mei aſſumatur. Ponebat certò Petrus, Ioannem aliquando moriturum, ſicut hoc hominibus omnibus commune eſt: idcircò quæſierat de genere mortis eius. IESV reſponſio de Ioannis morte.

X IESVS

Digitized by Google

Iesvs, quo magis retundat curioſitatem Petri; Quid ſi, inquit, velim, eum ſic ſemper manere, abſque morte, quid ſi nolim eum mori, niſi fortè tandem ſub finem ſæculi, quid ſi nolim te ſequatur per mortem. q. d. Hoc in meâ eſt poteſtate: non ſubiacet ille legi mortis, niſi pro meo imperio: poſſim ego eum ſeruare viuum in longiſſima ſæcula, adeoq; immortalem. Si ergo velim eum manere, manebit; ſi nolim manere, non manebit. meus eſt: penes me in eum eſt poteſtas omnis necis ac vitæ, ego pro meo arbitratu de eo ſtatuam quod optimum iudicauero.

Quid ad te? ſ. pertinet rogare aut ſcire quod genus mortis ſit ſubiturus, aut quid prouidentia mea de illo decreuerit? q. d. Nihil ad te pertinet: interrogas quod interrogare non debes, ſcire vis quod ad te non ſpectat: tum non eſt nec alterius cuiuſquam, ſolicitum aut cupidum eſſe ſciendi, quid in futurum velit facere de vobis Deus, & curioſiùs ſcrutari conſilia Dei, vel aliorum vocationes excutere. Arguit Petrum curioſitatis cuiuſdam, quam & reprimit: *nos erudiens,* inquit Chryſoſtomus, *non dolendum neque curioſius præter diuinam voluntatem inueſtigandum. Nam cùm Petrus ſemper in huiuſmodi interrogationes feruentiùs proſilierit, iterùm eius feruorem retundens, quòd non ſit ulteriùs inquirendum, in hunc modum reſpondit. Tu me ſequere;* tua cura & conſidera, aliena non ſcruteris, tuum eſt me ſequi, vt dixi, ad crucem propera, para te vt meam in cruce mortem imiteris: illum relique arbitratui meo, exitus illius ad te non pertinet.

Quid ſi ego vellem eum ſic manere, velles ideò tu quoque ſic manere, nec me ſequi? Qualiſcumque exitus eius futurus ſit, ſiue maneat ſiue non maneat, ad ea quæ tibi dixi, nihil id facit. nam quæ tibi dixi, fient, nec mutabuntur. Illis igitur animum intende.

Inutilem

Inutilem Petri quæſtionem remouet, & reuocat eum in viam quâ erat ipſi eundum: admonens, ne quid alijs obuenturum, ſed quid ſibi impoſitum ſit, obſeruet, illiq; ſe accōmodet. *Quoniam curioſa magis quàm utilis rerum alienarum inquiſitio eſt.* inquit Cyrillus, *reſpondet quidem* IESVS, *ſed ita ut rogantis animum abducat ad alia: nec mortis expertem futurum Ioannem ait, ſed ſi eum volo manere donec venio quid ad te? id eſt, audiſti Petre quæ ad te pertinent, cur alia quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris? Nam ſi etiam vellem minimè iſtum mori, quid tu umquam emolumenti aut conſolationis conſequereris? Non erit ergo prudens curioſus, ſi quid paſſurus ſit, utrùm etiam alij eadem ſubibunt an non, cùm aliorum calamitate pericula ſua non mitigentur.* Hæc Cyrillus.

CAP. XXVIII.

Petrus, ut caput cæterorum, electionem Matthiæ Apoſtoli procurat.

Cùm in cælum Chriſtus aſcendiſſet, ante miſſum Spiritum ſanctum, Petrus iam tùm non ſolùm ſcripturæ ſanctæ myſteria intelligebat, verumetiam eorum veritatem re & euentu docebat. Cùm enim duodecim Apoſtolos à Chriſto delectos recordaretur, eum numerum Iudæ proditione ac morte & imminutum, & reſtituendum eſſe ex Dauidis Pſalmis intellexit. Itaque cùm ſurrexiſſet, [a] hoc condiſcipulos docuit, his verbis. Scripturam impleri oportere, quam ſpiritus ſanctus ore Dauidis de Iuda proditore magiſtri, prædixiſſet; ſcriptum enim eſſe in libro Pſalmorum: [b] *Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea.* Et: [c] *Epiſcopatum eius accipiat alter.* Itaque deligendum eſſe ac ſufficiendum in eius locum

[a] *Act. 1. v. 15.*
[b] *Pſal. 68. v. 26. 31.*
[c] *Pſal. 108 v. 8.*

vnum ex ijs qui ſemper Chriſtum vnà cum ipſis ſecuti eſſent ex eo iam tempore, cùm à Ioanne ablutus & baptizatus eſt, ad eum diem quo in cælum aſcendiſſet.

Petri primatus hîc apertè oſtenditur.

Paſtoralem Petri ſolicitudinem, ac peruigilem non tantum gregis, ſed & paſtorum curam admirans S. Ioannes Chryſoſtomus, [d] hæc ait: *quàm eſt feruidus? quàm cognoſcit creditum à Chriſto gregem? quàm in hoc choro princeps eſt, & vbiq; primus omnium incipit loqui?* Et poſt multa: *Primus omnium auctoritatem vſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* hæc ipſe. Oecumenius [e] verò hæc in eamdem ſententiam: *Surgit*, inquit, *Petrus & non Iacobus, tamquam feruentior; & velut is, cui diſcipulorum præſidentia commiſſa erat.* Cæterùm non modò animi ardorem Petro peculiarem in geſtis, & dictis, verumetiam eius ſupra alios primatum hæc verba ſignificant, vt Leo IX. [f] poſt ſupra dictos notat, cuius nempe ſit maiores Eccleſiæ cauſas proponere atque tractare, & viduatæ Apoſtolo vno proſpicere. Quâ etiam in re declarauit nolle ſibi omnem vſurpare poteſtatem, ſed partiri cum alijs; quod eſt boni paſtoris, qualis Moſes, cùm quidam de Eldad & Medad prophetantibus indignarentur. [g]

d In Act. Apoſt. hom. 3.

e In Act. Apoſt c. 2.

f Epiſt. ad Michael. Conſtant. c. 16.

g Num. 11. v. 27.

Prædictâ Petri oratione cæteri Apoſtoli adducti, duos vnà cum eo propoſuerunt, Ioſephum qui Barſabas dictus eſt, & Matthiam, orauerunt q; Deum, vt oſtenderet vtrum eorum vellet in Iudæ locum ſuccedere. *Non Petrus ſtatuit*, inquit Chryſoſtomus, *ſed omnes: ſententiam verò ipſe protulit de eligendo alio tamquam de ſupernis profectam, iuxta prophetiam recitator, non præceptor.* Habebat enim Petrus, & gerebat in hoc negotio excellentiorem auctoritatem, ita vt quod alij auctore Petro, eligendo, ac deſignando (quod hic ſtatuere dicitur) fecerunt, ipſe feciſſe, atque ſtatuiſſe cenſeri poſſit, ſicut in bello dux, quod ab exercitu geſtum eſt.

Petrus etiam eos deſignaſſe rectè dicitur.

Præ-

Digitized by Google

Præterquam quod *ita voluit Petrus*, vt ait idem Chryſoſtomus, *ſimul eos qui eligebantur, reddere reuerendos, ſimul ſeipſum liberare ab inuidiâ, ſimultateq; quæ poterat à cæteris oboriri, & gignere ſolet ingentia mala*. Cur Petrus nõ elegerit, ſicut poterat, Apoſtolum loco Iudæ.

Cùmq; eis ſortes dediſſent, Matthiæ ſorte magiſtratus & Apoſtolatus obtigit.

CAP. XXIX.

In die Pentecoſtes ad unicam Petri concionem tria millia Iudæorum conuertuntur.

PAucis pôſt diebus, quinquageſimus dies, quem Pentecoſten Græco nomine appellamus, venit. Eo die cùm Spiritum ſanctum Chriſtus diſcipulis miſiſſet, quo completi varijs linguis Deum laudarent, eius rei fama innumerabiles qui ex omnibus nationibus Ieroſolymæ tum erant, ad rem cognoſcendam excitauit. Cùmq; in eum locum vbi erant diſcipuli, conueniſſent, nemoq; eſſet qui non illos eo ſermone vti, eaque lingua loqui perciperet, quæ regionis cuius erat, propria eſſet, partim ſtupor eos inuaſit, partim admiratio. Sed tamen nonnulli irridentes eos vino onuſtos eſſe dixerunt. Apoſtoli Spiritum ſanctũ accipirent in die Pentecoſtes.

Itaque Petrus vnus hanc illorum audaciam & calumniandi libidinem oratione ad eos luculenta habita reprehendit *ſtans cum undecim*.[a] Certè animi firmitatem & conſtantiam ſtatus hîc ſignificat in ijs, qui fugiebant antè, & latebant: intrepidam Petri orationem coram tanta ex adeò diuerſis gentibus conflata multitudine, cùm vel clariſſimis tamen oratoribus, mens obſtupeſcere, corpus contremiſcere, vox non raro ſoleat faucibus hærere. Hanc concionem Chryſoſtomus[b] exiſtimat domi habitam, quaſi eò conuene- [a] *Act. 2. & 14.* Stare animi firmitatem & conſtantiam ſignificat. [b] *Homil. 8. in Acta.*

rit multitudo. Sed hæc ipſa multitudo ſuadet locum domo ampliorem fuiſſe, ſiue templum, ſiue alium.

Primatus Petri hîc oſtenditur.

Hîc quoque loquendi modus denotat primatum Petri, nec non quod vnus reſpondet pro cunctis: & quod primus tam diſertè Scripturas explanat, vt obſeruauit Leo IX.[c]

[c] Epiſt. 1. ad Mich. Imp. c. 16.

Prætereà *leuauit vocem ſuam*, vt exaudiretur à multitudine, & vt confidentiam, & robur animi demonſtraret: & vt quaſi feruentis in præcordijs muſti ſpiritale gaudium, & amorem tamquam rupto vtre ex ore efflaret, vt quam procul auditores à ſalute & Spiritu ſancto remoti eſſent, oſtenderet.

In virtute Spiritus ſancti, inquit Cyrillus Ieroſolymitanus,[d] *voluntate* PATRIS *&* FILII, *ſtans Petrus cum vndecim, & eleuans vocem ſuam, ſecundum illud:*[e] *Exalta in ſonitu vocem tuam, qui Euangelizas Ieruſalem, reti verborum animas circiter trium millium cæpit.* Sic decebat prædicationis principium reſpondere ſono Spiritus vehementis, qui totam domum repleuerat. *Et locutus eſt eis, non veritus ancillam*, vt Chryſoſtomus, & Oëcumenius, aliíq; hoc loco notant, & Gregorius,[f] & Auguſtinus,[g] atque vt *os cæterorum pro omnibus loquens*, vt ait idem Chryſoſtomus, & Oecumenius: agnoſcentes præterea vim diuinam in idiotâ verſante inter aduerſarios, & irriſores.

[d] Catecheſ. 17.
[e] Iſa. 40. 9.
[f] Homil. 30 in Euang.
[g] Serm. 185. de Temp.

Pulchrè profectò magnus Didymus[h] dixit: *Quomodo qui aliquâ diſciplinâ plenus eſt, quia perfectè eam habet, eruditè, & ſubtiliter poteſt de eâ proferre ſermonem: ſic qui Spiritum ſanctum conſummatè acceperint, ita ut impleantur eo, cum fiduciâ verbum Dei loquuntur, quia præſens Spiritus ſanctus dignam Deo vocem miniſtrat.* Sic ille inquit.

[h] lib 1. de Spir. ſancto

Verba igitur facturus Petrus de Domino IESV parum grato Iudæis, imò etiam odio ab eis habito, à quo tamen

tamen vult oſtendere miſſum in Apoſtolos Spiritum ſanctum, id eſt, eius merito, & precatione, mirificè captat beneuolentiam, blandiens quidem illis, at aſſentans nequaquam. Quare inprimis vocat eos viros à virtute, quâ nihil eſt formoſius, præſtantius, aut amabilius. Vocat Iudæos, (quo titulo illi gloriabantur) à tribu Iuda, quæ principatum inter cæteras tenebat propter rei bellicæ peritiam, & Reges ex eâ ortos ad regimen illius populi; & propter Chriſtum, & nonnullos Apoſtolos, qui ex illâ tribu clariori fuerunt. Poſtea verò etiam appellat eos viros Iſraelitas, ita enim dicti ſunt ab Iſraël, qui fortis cum Deo, vel eum videns interpretatur: atq; adeò illis promiſſum Spiritum tradit, vt poſſint eſſe Iſrael Dei, id eſt, fortes cum Deo per Spiritum ſanctum, & ita fortes, vt poſſint ad eius viſionem accedere: atq; hac viâ ad compunctionem eos perducat, ad hoc vt blandum per Chriſtum remedium accipiant. Sed nunc diuinam Petri concionem ijs, quibus à S. Lucâ deſcribitur, verbis, audiamus. Petrus cur viros, Iudæos, & Iſraelitas vocet Auditores.

Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem uniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel: [1] *Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Et dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terrâ deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus. Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Prima Petri concio. [1] Cap. 2. v. 28.

Viri Iſraelitæ audite verba hæc: IESVM *Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, & prodigijs, & ſignis, quæ fecit* DEVS *per illum in medio veſtri, ſicut vos ſcitis. Hunc definito conſilio, & præſcientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes, interemiſtis. Quem* DEVS *ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri eum ab eo. David enim dicit in*

k Pſal. 15. v. 8. *eum:* k Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea; inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua.

Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarchâ Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt: & ſepulchrum eius eſt apud nos usq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione CHRISTI, *quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſsione Spiritus ſancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. Non enim*

l Pſal. 109. v. 1. 2. *Dauid aſcendit in cælum: dicit autem ipſe:* l Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. *Certiſsimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum &* CHRISTVM, *fecit* DEVS *hunc* IESVM, *quem vos crucifixiſtis.*

Hæc cùm Petrum perorantem audiſſent, ſubijt eos pænitentia, eumq; ac cæteros Apoſtolos rogarunt, quidnam facere eos oporteret.

Petrus verò ad illos: Pænitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine IESV CHRISTI, *in remiſsionem*

peccato-

Digitized by Google

peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſsio & filijs veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. Alijs etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens: ſaluamini à generatione iſta prauâ. Oſtendit poſterioribus his verbis S. Lucas, non eſſe integrum Petri ſermonem collectum, ſed ſummam tantùm eius, & compendium.

Teſtificatus eſt ergò illa quæ Fidei ſunt, & quæ præcedere debent: & hortatus eſt ad ea, quæ bonorum morum ſunt, atque ad alia Sacramenta ſpectant, vt acutè ponderauit S. Auguſtinus: [m] *Ipſa hæc ſumma eſt totius Petri concionis prolixioris*, inquit. Saluberrimum Petri conſilium fuit dehortari à ſocietate malorum ipſo conuerſionis initio, eâ enim ſocietate nihil periculoſius eſt. *m lib. 4. de fide & oper. cap. 8.*

Qui ergò receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.

Hæ ſunt primitiæ, quas offert Petrus Deo: multo gratiores, quàm quas Moſes cum populo, eidem obtulit die quinquageſimo ab egreſſu ex Ægypto. [n] Hodie primùm præſtat Petrus, quod Chriſtus promiſerat poſt piſcium multitudinem tantam retibus concluſam: *Ex hoc iam eris homines capiens.* [o] *Primitiæ quas Chriſto Petrus obtulit quantæ.* *n Exod. 35 & 36.* *o Luc. 5. v. 6.*

Tam multi vnâ die baptizati ſunt, *non à Petro ſolo, ſed ab alijs, tum Apoſtolis, tum Diſcipulis*, inquit Carthuſianus: idq; & ſimplici vſurpatâ formâ ſine cæremonijs, quas ijdem poſtea Apoſtoli, eorumue ſuppares, aut alij Pontifices inſtituerunt: & aquæ non immerſione, non effuſione, ſed aſperſione, quâ facilè eſt multos ſimul baptizari, & aquâ attingi, cuius vel gutta etiam ſufficit, vt plurimi ſentiunt. *Quomodo vno die tam multi baptizati.*

Potuit itaq; fieri, vt vnus eandem vnicam formam pronuncians: *Ego vos baptizo:* plures ſimul aquâ aſpergeret.

Digitized by Google

[f] Luc. 23 v. 34. [q] In Pſal. 93. [r] Orat. 2. & 3. in Paraſceue. [s] Ser. 16. de Paſſ. Dom. [t] In Act. Apoſt. homil. 4.

Laudes S. Petri.

Cæterùm hic eſt fructus orationis Chriſti in cruce [f] pro crucifixoribus, vt ait Auguſtinus, [q] Chryſoſtomus, [r] Leo, [s] & Bonauentura.

Ioannes quidem Chryſoſtomus [t] admirans Petri præclara & tali præſide digniſſima facta, in eius laudem hæc effatus eſt: *Erat Petrus os omnium, cauſam fidei agit pro omnibus, doctrinâ ſuâ inſtruit omnes, ipſe præcipuus fidei aſſertor eſt, præcipuus cathechiſta habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Eccleſiam, eamq; non ex Ieroſolymitanis & circumcirca habitantibus Iudæis, ſed ex Parthis, Medis, Phrygibus, Lybicis, Aegyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs. Et qui omnium paſtor fuit à Domino inſtitutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oues: docuit eos fidem ſimul & Apoſtolicos mores, nempe renunciare omnibus, ſimul conuenire in oratione, & panis à Chriſto edocta fractione.* Idem de primorum credentium communi vitâ: [u] *Hæc erat,* ait, *Angelica reſpublica, nihil dicere proprium: hoc protulit primum germen naſcens Eccleſia. Petrus plantat verbo, rigat baptiſmate, ſed qui incrementum dat, Deus eſt.* Ac rurſus: [x] *Petrus piſcator hos ſuperauit, quaſi cum mutis piſcibus certamen fuiſſet: nec enim aliter quàm piſcator mutos piſces, ita hic illos ſuperauit.* Et paulò poſt: *Vbi nunc Græciæ faſtus, ubi Philoſophorum deliramenta? ille Galilæus, ille Bethſaida natus, ille ruſticanus uniuerſos illos deuicit: agedum non ad nominatam patriam illius, qui hos deuicit erubeſcitis? quod ſi nomen ipſum hominis audietis (Cephas enim dictus eſt) multo magis obtegetis faciem.* Hæc ille, Chriſti in Petro admirabilem virtutem prædicans.

[u] Homil. 7. in Acta.

[x] Id. ibid. hom. 5.

CAP.

CAP. XXX.

Petri primum miraculum claudi ſanatio, & aliorum quinq; millium ad fidem conuerſio.

HActenus quidem Petrus ſolus extiterat in prædicando, tametſi reliqui Apoſtoli ab eo minimè eſſent diſiuncti, vt viderentur omnes ore Petri verba facere: nunc verò in præclaro ſigno edendo, Ioannem ſibi adiunxit comitem, quem vnicè atq; Chriſtus diligebat, volens ex charitate ſignorum editionem communem cum illo facere. [a] Is enim vnà cum eodem in templum orandi causâ ad horam nonam veniebat, cùm claudus & paralyticus quidam, quem morbus is ex vtero matris inuaſerat, portaretur: vt quemadmodum quotidie ſolitus erat, ante ianuam templi quæ Specioſa dicebatur, poſitus, aliquid ab ijs qui introirent in templum acciperet.

a Act. 3. v. 1.

Is ergò cùm Petrum & Ioannem introeuntes animaduertiſſet, eos vt ſibi aliquid largirentur rogare cæpit. Quem cùm illi intuerentur, Petruſq; eum in ipſos oculos conijcere iuſſiſſet, ille paruit, quòd ſe ab eis pecuniam accepturum eſſe ſperaret. Sed cùm Petrus ſibi argentum eſſe negaſſet, hoc ſe illi dare quod haberet, dixit, imperauitq; vt IESV CHRISTI Nazareni nomine ſe in pedes erigeret, atque ambularet.

Petrus claudũ & paralyticũ ſanat.

Nam [b] *& apprehenſâ manu eius dexterâ alleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Nulla intercedit cunctatio,* inquit Gloſſa interlin. *ne putetur aliunde ſanatio. Quanta velocitate res agatur, attendite,* inquit Auguſtinus, [c] *Vix aures debilis ſermo intrauerat iubentis,*

b Ibid. v. 7.

c Serm. 26. de Verb. Apoſt.

Digitized by Google

& continuè vis ſanitatis irrupit: & excluſâ infirmitate uſui membra redduntur. Teſtimonium velocis reſurrectionis eſt velocitas ex debilitate ſurgentis in momento, in ictu oculi, in nouiſſimâ tuba,[d] &c. *Futura metire de factis: in quanto momento mortui excitentur debilibus à naturâ crede veſtigijs.* Oecumenius quoque reſurrectionem notatam vult in eo, quod Petrus alleuauit claudum. *Hanc vocem per Spiritum,* inquit Baſilius,[e] *dicto ocyus efficacia operis conſecuta eſt. Et hoc miraculi argumentum, celeritas in operando.* In ea quoq; verba, *conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ,* ita ſcribit D. Auguſtinus,[f] *Parum erat, quod dicebatur in uſum claudus rediſſe, vires cum ſanitate reſtituuntur: non enim dicit, reſtitutæ ſunt, ſed, conſolidatæ ſunt baſes: tam abundantem recipiunt ſanitatem, ut ferant laborem.*

[d] *1. Cor. 15. v. 52.*

[e] *Hom. in Pſal. 115.*

[f] *Serm. 26 de Verb. Apoſt.*

Cur primum Petri miraculum fuerit claudi ſanatio?

Quid verò eſſe cauſæ putemus, cur omninò primum miraculum, vel certè quod Spiritui ſancto viſum eſt, vt commendaretur poſteritati tamquam à Petro factum, fuerit claudi curatio? Ambroſius[g] reſpondet, quoniam *Petrus petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia,*[h] *ideoq; ſicut in Eccleſiâ fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmat, & ut Chriſtianus iam non trepidus & imbecillis poſſit ſuper petram Eccleſiæ, ſed robuſtus & fortis incedere.* Nyſſenus:[i] *Is,* inquit, *qui à natiuitate claudus fuerat, ſpecioſam portam templi rurſus ijs, qui ſalui fierent, aperuit, cui aſſidens ſuæ ſanationis miraculo animas claudicantes ad Fidem adduxerat.*

[g] *Serm. 68.*

[h] *Matth. 16. v. 18.*

[i] *Orat. de S. Stephan.*

Prædictus ergò claudus *exſiliens ſtetit & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exſiliens, & laudans Deum. Laudabat* DEVM, inquit Chryſoſtomus, *ut ora aſtantium obturaret: & ſuos quidem benefactores gratus comitatur, non tamen illos, ſed* DEVM, *qui per illos ei benefecerat, admiratur.*

Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat

bat ad ſpecioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore,& extaſi in eo, quod contigerat illi. Hic exclamare libet cum D. Bernardo.[k] *Quomodo lux iſta* (nominis effuſi vt oleum) *inſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur egrediens claudi unius corporales plantas ſolidauit & baſes, multosq; ſpiritualiter cæcos illuminauit. Numquid non ignem ſparſit, cum ait: In nomine* IESV *Chriſti Nazareni, ſurge & ambula?* [k] Serm. 15. in Cant.

Porrò ſanatus claudus *cùm teneret Petrum & Ioannem, concurrit omnis multitudo ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes.*

Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini? quaſi noſtrâ virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Secunda Petri concio.

Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, glorificauit Filium ſuum IESVM, *quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem Sanctum, & Iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis. Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. Et in fide nominis eius, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum. Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis ſicut & principes veſtri. Deus autem, quæ prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit.*

Pænitemini igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata veſtra, ut cùm venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, IESVM *Chriſtum. Quem oportet quidem cælum ſuſcipere, usq; in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum, à ſæculo Prophetarum. Moyſes quidem dixit,*[l] *Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Do-* [l] Deut. 18.

Digitized by Google

minus Deus veſter de fratribus veſtris tamquam me, ipſum audietis iuxta omnia, quæ locutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annuntiauerunt dies iſtos. Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo, benedicentur omnes familiæ terræ. *Vobis primùm Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, ut conuertat ſe unusquisque à nequitiâ ſuâ.*

m Gen. 22. 18. 22. & 26.

Multa verò & alia in eandem ſententiam Petrus dicebat,[n] cùm ſacerdotes & magiſtratus templi atque Saducæi interuenerunt, qui iniectis manibus comprehenſos eos in cuſtodiam in craſtinum tradiderunt, quòd moleſtè ferrent doceri ab eis populum, & IESV exemplo & nomine induci mortuorum reſurrectionem. *Qui alienâ proditione, & manu comprehenderunt Chriſtum, iam in impietate creſcentes,* inquit Chryſoſtomus, & Oecumenius, *& audaciâ, ipſimet manus in Apoſtolos iniiciunt*: quamuis publici magiſtratus operâ vtuntur, & publicè comprehendunt, vel tamquam vindices publicæ iniuriæ, vel, vt metum alijs condiſcipulis, eorumúe ſtudioſis incuterent, vel *quod*, vt ait Chryſoſtomus, ſeditionem vererentur multitudinis, quæ ſe nuper ad eos adiunxerat. *Erat enim iam veſpera*, eo enim die circa horam nonam claudus curatus erat, poſteaq; concio à Petro habita.

n Act. 4. v. 1. 2. &c.

Petrus cuſtodiæ mandatur.

Quinque autem millia hominum qui hæc audierant, eis crediderunt; non propter verbum modo, ſed etiam propter miraculum curati. Chryſoſtomus, & Oecumenius tertiam cauſam aſſignant, videlicet inconcuſſum animum, & ſingularem fortitudinem Apoſtolorum, dùm vincirentur.

Quinque millia conuerſi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXI.

Petri in Concilio Iudæorum imperterrita conſtantia.

POſtero die dùm Annas & Caiphas alijq; ſacerdotes & ſcribæ conueniſſent, eos produci iubent ab eiſq; requirunt, cuius hoc nomine feciſſent. Petrus Spiritus ſancti plenus, in Concilio huiuſmodi vſus eſt oratione: a *a Act. 4. v. 8.*

Principes populi, & ſeniores audite. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi in quo ille ſaluus factus eſt; Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI *Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coràm vobis ſanus. Hic eſt lapis b qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Summa huius Apologiæ eſt, optare ſe, vt manifeſtum fiat, quod ipſi occultum vellent: & quidem lætandum ijs fuiſſe, in eo quod acciderat: eſſe enim teſtificationem ſalutis, quæ tam diu à Meſſiâ exſpectata, iam aduenerat, cum illius virtute, quamuis ab eis crucifixi, claudo ſanitas collata ſit.

Petri oratio in Concilio Iudæorum.

b Pſal. 117. v. 22.

Summa orationis D. Petri.

Illi cùm Petri & Ioannis, quos idiotas & ignaros eſſe ſcirent, conſtantiam tantam cernerent, & virtus eorum magnam eis admirationem attulit & oratio. *Non enim verbis ſolis,* inquit Chryſoſtomus, *monſtrabant non curare ſe, de quibus iudicentur, & quod extrema intententur pericula, ſed etiam habitu & voce, & aſpectu, & in ſumma omnibus libertatem apud populum demonſtrabant per ea, quæ loquebantur.*

Apoſtolorum ſumma in dicendo conſtantia.

Cùmq;

Digitized by Google

Cùmq; hominem qui curatus fuerat, ſtantem cum eis viderent, nihil habebant quod contrà dicerent. Secedere tamen eos extra concilium pauliſper iuſſerunt, vt inter ſe quid faciendum eſſet conſtituerent. Rem eſſe ita claram & illuſtrem dicunt, vt eam ipſi iam negare non poſſent. Itaque hoc tantum placere, vt deinceps non loquerentur, aut docerent IESV nomine. Quod cùm eis imperarent, illi reſponderunt: Si æquum eſſet diuino iudicio, eos potius quàm Deum audire, ipſi viderent, Se autem non poſſe de ijs quæ vidiſſent & audiuiſſent non loqui. Eos tum cum minis dimiſerunt, cùm nullam ſatis iuſtam cauſam animaduerſionis inuenirent.

CAP. XXXII.

Petri terribile iudicium contra Ananiam fraudatorem, eiusq́; coniugem Sapphiram.

a Act. 4. Vita communis in primitiuâ Eccleſiâ.

DIſcipulorum omnium eiuſmodi erat vitæ inſtitutum, vt nec quiſquam eorum quicquam haberet vt ſuum: a & ſi qui eis ſe adiungerent, omnia quæ poſſiderent venderent, preciumq; ante Apoſtolos ponerent. Mirum ſanè fuit, etiam coniuges alienare agrum, non quia deerant ijs liberi, aut ſuppetebant facultates aliæ; ſed id affirmatur vniuersè de omnibus poſſeſſoribus agrorum, & domorum. Adeò flagrabant caritate ac fiducia in Deum, & de Apoſtolis tantam opinionem habebant, vt etiam iuncti matrimonio nihil ſibi neceſſariorum defuturum certò ſibi perſuaderent; quamuis omnium ſe rerum dominio ſpoliarent.

b Act. 5. V. 1. Ananiæ fraudatoris propoſitum.

Vir autem quidam Ananias b nomine cum Sapphira vxore ſua, cùm agrum vendidiſſet, multumq; de precio detraxiſſet vxore conſciâ, partem quandam afferens ad pedes Apoſtolo-

Apoſtolorum poſuit. Baſilius ait,[c] quod *humanæ gloriæ cupiditate Ananias quicquid bonorum habebat* DEO *palam conſecrarat, ut hominum de ſe opinionem excitaret.* Hieronymus;[d] *Ideò,* inquit, *Ananias, & Sapphira puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Spiritui ſancto, & reſeruantes neceſſaria victui ſuo quaſi perfectè ſeculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur. Alioqui licet liberè vel dare, vel non dare: quamquam ei qui cupiat eſſe perfectus, præſens paupertas futuris diuitijs compenſanda ſit.* Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ[e] putat, quod vterq; iſtorum ſe ſocietati aggregauit, vt neceſſaria vitæ abſque labore haberent, hoc eſt, quod alijs verbis Lyranus dicit, voluiſſe de medietate pretij habere expenſas communes, ſicut habebant alij, & de aliâ medietate viuere lautius in occulto. Petrus Damianus,[f] *pro ſuſtentanda,* inquit, *quaſi longa vita uterq; retinuit aliquid. Fortaſſe etiam cùm animaduerterent perſecutionem commotam eſſe, vel ſibi hac ratione conſultum de viatico voluerunt, ſi migrandum foret, vel ut ſe redimerent, ſi opus eſſet.* Innuit id Hieronymus,[g] *appellans diſpenſatores timidos, ac metuentes famem, quam vera fides non timet.*

[c] Serm. 1. de Inſtit. Monach.

[d] Epiſt. 150 ad Hedib. q. 1.

[e] In Hiſt. Act. c. 22.

[f] Ep. 15 de con. ſec. c. 3.

[g] Epiſt. 8. ad Demetriad.

Quod cùm Petrus Spiritus ſancti permotione cognouiſſet, tamquam ſummus & diuinus iudex ab Ananiâ quæſiuit, cur à Satanâ impulſus, Spiritui ſancto mentitus eſſet, fraudaſſetq; de agri pretio, cùm præſertim maneret ei, venditaq; poſſeſſio in illius eſſet poteſtate. Neq; enim eum mentitum eſſe hominibus, ſed Deo. Hæc cùm Ananias audiret, cecidit, & ſpiritum edidit.

Petri iudiciũ contra Ananiam.

Lucas non exprimit quòd Petrus Ananiam interfecerit; Origenes negat:[h] ſed cùm Ananias non ferret adeò acrem reprehenſionem præſertim illorum verborum: *Cur impleuit, ſeu tentauit Satanas cor tuum?* prænimio mærore mortuum concidiſſe. Indicat eundem interfectionis modum

[h] Tract. 8. in Matth.

Z Grego-

i 2. Dial c. 30. Gregorius,[i] dicens, *quod increpando utriq; coniugi vitam abſtulit, qui reddidit Thabitæ orando.*[k]

k Act. 9. v. 4. Dionyſius Carthuſianus docet, ab Angelo percuſſum Ananiam, & coniugem Sapphiram. Auguſtinus; ſiue apud illum Auctor Operis de Mirabilibus Scripturæ[l] affirmat, à Petro, ſeu Petri imperio, & verbis; & Caſſianus, *more Apoſtolico*,[m] videlicet tamquam cauſa, vt Theologus loqueretur Phyſica inſtrumentali eſſe interfectos.

l lib. 3. c. ult.

m lib 7 de Inſtit renunc. c. 14.

Porrò hæc res omnium animos vehementi metu perculit. Vix autem trium horarum ſpatium interceſſerat, cùm Sapphira eius vxor huius rei ignara, introiuit. Eam Petrus rogauit, an tanti agrum vendidiſſent? quæ cùm annuiſſet, reprehenſaq; eſſet ab illo, iiſdem verbis quibus vir eius ſtatim id quod ei Petrus prædixerat, cecidit mortua. *Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam: & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum.* Addit Carthuſianus, *ut carnis coniunctionem ſequeretur coniunctio pulueris, & quia de coſta viri facta eſt mulier.*[n] *Nullus ibi tamen*, inquit Chryſoſtomus, *ingemuit, nullus eiulauit; cùm diuinum iudicium venerarentur, & diſcerent Deum non eſſe contemnendum.*

Item contra Sapphiram vxorem.

n Gen. 2. v. 21.

CAP. XXXIII.

Petri in miraculis edendis excellentia, ex quâ primatus eius aſſeritur.

QVanta autem vis in Petro curandorum morborum, fuerit, quantaq; omnium de eo in hoc genere opinio, hinc intelligi licet, quòd cùm omnes ægros & debiles in vijs quibus iter facturum eum ſperarent, poſuiſſent, non exſpectabant, dum eos ipſe tangeret, ſed vim in eius vmbra

Digitized by Google

brâ tantam ineſſe putabant, vt ſe ac ſuos liberatum iri confiderent, ſi ea ad ipſos perueniret. Quæ eos ſpes minimè fefellit. [a] Omnes enim qui tum è finitimis oppidis Ieroſolymam venerunt aut delati ſunt, Petrus ſanitati priſtinæ reſtituit.

[a] Act. 5. v. 15.

Sicut igitur inter omnes Apoſtolos, Petrus à Chriſto primatu in omnes eſt auctus, ita etiam præclariora quædam, & inſigniora ab eo miracula edi conceſſit. Nam quamuis ſpectatâ virtute actiuâ, quam infinitam eſſe, & diuinam oportet, omnia miracula ſint paria, tamen conſiderando res quæ fiunt, quarum non eadem eſt natura, & perfectio, aut modum, qui in ijs faciendis adhibetur, inæqualia ſunt. Quare mortui ſuſcitatio maius miraculum eſt, quàm emundatio leproſi, & curare per ſolam vmbram mirabilius eſt, quàm per contactum vel verbum. Neq; tamen vmbra per ſe operabatur, cùm ſit priuatio, ſed præſentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, ſiue ipſe eſſet cauſa moralis, ſiue etiam phyſica inſtrumentalis.

Miracula omnia ſunt paria quoad virtutem, ſed quoad res diuerſa.

Cæterùm ex hac vmbrâ Petri, ſiue ex tam proprio vni illi curando modo, primatum illius colligit Gloſſa Interlin. & Aluarus Pelagius, [b] Arator quoq; Diaconus [c] de his præclaro carmine ita cecinit:

Petri primatus hinc colligitur.

[b] lib. 1. de planctu Eccleſ. cap. 5.

[c] lib. 1. in Acta.

Excute Petre gradus: tecum medicina ſalutis
Ambulat, adde viam, is pes eſt ad gaudia velox
In pedibus non eſſe moram, tua ſemita vita eſt,
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus umbræ
Corpora cuncta leuas, atq; hoc ſimul inſcia voti
Sumit turba tacens; quod cum rogat accipit unus.
Quærite quos agitat tanti reuerentia facti;

Digitized by Google

Quid typicum res iſta ferat, libriſq; volutis
Noſcite quòd ſoli eſt conceſſa hæc gloria Petro.
Quaque ſub hac ſpecie lateant documenta videte.

Quoniam quod hîc in vmbrâ geritur, per illum, *In imagine enim pertranſit homo,* [d] reipsâ geratur in cælo, idem pluribus verſibus docet, hoc eſt, vt quod ſupremâ, quam habet poteſtate, ligatur, & ſoluitur in terrâ per ſacramenti quaſi vmbram, ratum firmumq; ſit in cælo. Haud multum ab Aratore abludit Beda ait enim. *Petrum eſſe typum Eccleſiæ, ut cùm ille rectius incedit umbrâ comitante, iacentes erigat, quoniam Eccleſia mente, & amore cæleſtibus intendens, quaſi umbraticè tranſcurrit in terrâ: & hic ſacramentis corporalibus figuriſq; cæleſtium renouat, quos illic perpetuis remunerat donis.*

d Pſal. 38. v. 7.

Leo IX. [e] indidem argumentatur eundem primatum Petri, eumq; rectorem fuiſſe vtriuſq; Eccleſiæ præſentis, & futuræ, ac in ſe portendiſſe ſtatum eiuſdem, ita vt per ſecretam vim ſacramentorum viſibilium ſolidam tribueret ſpeciem in cælo, quoniam *nunc videmus per ſpeciem in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* [f]

e Epiſt. 1. ad Mich. Conſt. c. 18.

Petrus rector præſentis Eccleſiæ, & futuræ.

f 1. Cor 13. v. 12.

Decuit ſanè inſignem Petrum eſſe in ſignorum perpetratione, quia *Iudæis, qui ſigna petunt,* [g] peculiariter deſtinatus erat: quemadmodum Paulus, qui *Gentibus, ſiue Græcis ſapientiam quærentibus,* ſapientia excelluit, vt Carthuſianus animaduertit. Argumentatur B. Augnſtinus; [h] *ſi tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quanto magis gratia, nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum: ſi tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis cætera vincientis? Vt umbra,* inquit, *venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacua imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis*

Petrus in miraculis excellens eſſe debuit.

g 1. Cor. 1. v. 12.

h Serm. 29. de Sanctis.

Ex vmbrâ Petri qualiter D. Aug. argumentatur.

ſalutis; quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis?

CAP. XXXIV.

Petrus carceri includitur, ſed ab angelo liberatus in Concilio cæditur. Iacobum Ieroſolymitanum Epiſcopum ordinat.

LAtè diffundebatur fama Apoſtolorum, & ad eos conuocabat externam multitudinem, non magis curioſam nouitatis, quàm auidam propriæ vtilitatis. Celebrabant famam præterita miracula, & recentia etiam duorum coniugum ob fraudem oblatæ rei ſuæ cædes.

Tantam Chriſti gloriam in Petro, ac cæteris Apoſtolis diuinitùs illuſtratam non ferentes Principes ſacerdotum, furore quodam exagitati, injicientes in illos manus, in carcerem detruſerunt. *At Angelus Domini*, inquit Lucas, *a per noctem aperiens ianuas carceris*, eduxit illos, iuſſitq; intrepidè Euangelium prædicare: qui diluculo templum ingreſſi, cæperunt confluentem docere populum. Cùm interim coacto Concilio ſeniores, ipſos adhuc carcere detineri putabant, Apoſtolos adduci iuſſerunt. Quæſiti ſunt in carcere, at non inuenti, licet clauſum eſſet oſtium; ſed eos in templo prædicare Euangelium nunciatum eſt. Tunc qui miſſi ſunt magiſtratus, ac miniſtri, abſque vi aliquâ ſiſtunt eos ſeniorum Concilio. Cùmq; arguerentur ſpreti mandati: Petrus pro cæteris, ex more, ad factâ excuſationem magnâ animi libertate hæc effatus eſt: *b Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit* IESVM, *quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc principem & Saluatorem Deus exaltauit dexterâ ſuâ, ad dandam pænitentiam Iſraeli, & remiſſionem*

Petrus cum ſociis carceri includitur.

a *Act.* 5. v. 19.

Diuinitùs liberatur.

b *Ibid.* v. 29. *& ſequ.*

Petri oratio in Concilio.

Digitized by Google

p Luc. 23 v. 34.
q In Pſal. 93.
r Orat. 2. & 3. in Paraſceue.
s Ser. 16 de Paſſ. Dom.
t In Act. Apoſt. homil. 4.
Laudes S. Petri.

Cæterùm hic eſt fructus orationis Chriſti in cruce [p] pro crucifixoribus, vt ait Auguſtinus, [q] Chryſoſtomus, [r] Leo, [s] & Bonauentura.

Ioannes quidem Chryſoſtomus [t] admirans Petri præclara & tali præſide digniſſima facta, in eius laudem hæc effatus eſt: *Erat Petrus os omnium, cauſam fidei agit pro omnibus, doctrinâ ſuâ inſtruit omnes, ipſe præcipuus fidei aſſertor eſt, præcipuus cathechiſta habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Eccleſiam, eamq́ non ex Ieroſolymitanis & circumcirca habitantibus Iudæis, ſed ex Parthis, Medis, Phrygibus, Libycis, Aegyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs. Et qui omnium paſtor fuit à Domino inſtitutus, ex omnibus nationibus cogere cæpit oues: docuit eos fidem ſimul & Apoſtolicos mores, nempe renunciare omnibus, ſimul conuenire in oratione, & panis à Chriſto edocta fractione.* Idem de primorum credentium communi vitâ: [u] *Hæc erat*, ait, *Angelica reſpublica, nihil dicere proprium: hoc protulit primum germen naſcens Eccleſia. Petrus plantat verbo, rigat baptiſmate, ſed qui incrementum dat, Deus eſt.* Ac rurſus: [x] *Petrus piſcator hos ſuperauit, quaſi cum mutis piſcibus certamen fuiſſet: nec enim aliter quàm piſcator mutos piſces, ita hic illos ſuperauit.* Et paulò poſt: *Vbi nunc Græciæ faſtus, ubi Philoſophorum deliramenta? ille Galilæus, ille Bethſaida natus, ille ruſticanus uniuerſos illos deiecit: agedum non ad nominatam patriam illius, qui hos deuicit erubeſcitis? quod ſi nomen ipſum hominis audietis (Cephas enim dictus eſt) multo magis obtegetis faciem.* Hæc ille, Chriſti in Petro admirabilem virtutem prædicans.

u Homil. 7. in Acta.
x Ibid. hom. 5.

CAP.

CAP. XXX.

Petri primum miraculum claudi ſanatio, & aliorum quinq; millium ad fidem conuerſio.

HActenus quidem Petrus ſolus extiterat in prædicando, tametſi reliqui Apoſtoli ab eo minimè eſſent diſiuncti, vt viderentur omnes ore Petri verba facere: nunc verò in præclaro ſigno edendo, Ioannem ſibi adiunxit comitem, quem vnicè atq; Chriſtus diligebat, volens ex charitate ſignorum editionem communem cum illo facere. [a] Is enim vnà cum eodem in templum orandi causâ ad horam nonam veniebat, cùm claudus & paralyticus quidam, quem morbus is ex vtero matris inuaſerat, portaretur: vt quemadmodum quotidie ſolitus erat, ante ianuam templi quæ Speciosa dicebatur, poſitus, aliquid ab ijs qui introirent in templum acciperet. *a Act. 3. v. 2.*

Is ergò cùm Petrum & Ioannem introeuntes animaduertiſſet, eos vt ſibi aliquid largirentur rogare cæpit. Quem cùm illi intuerentur, Petruſq; eum in ipſos oculos conijcere iuſſiſſet, ille paruit, quòd ſe ab eis pecuniam accepturum eſſe ſperaret. Sed cùm Petrus ſibi argentum eſſe negaſſet, hoc ſe illi dare quod haberet, dixit, imperauitq; vt Iesv Christi Nazareni nomine ſe in pedes erigeret, atque ambularet. *Petrus claudũ & paralyticũ ſanat.*

Nam [b] *& apprehenſâ manu eius dexterâ alleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Nulla intercedit cunctatio,* inquit Gloſſa interlin. *ne putetur aliunde ſanatio. Quanta velocitate res agatur, attendite,* inquit Auguſtinus, [c] *Vix aures debilis ſermo intrauerat iubentis, & con-* *b Ibid. v. 7.* *c Serm. 26. de Verb. Apoſt.*

Digitized by Google

& continuè vis ſanitatis irrupit: & excluſâ infirmitate uſui membra redduntur Teſtimonium velocis reſurrectionis eſt velocitas ex debilitate ſurgentis in momento, in ictu oculi, in nouiſſimâ tuba, d &c. Futura metire de factis: in quanto momento mortui excitentur debilibus à naturâ crede veſtigijs. Oecumenius quoque reſurrectionem notatam vult in eo, quod Petrus alleuauit claudum. *Hanc vocem per Spiritum,* inquit Baſilius,[e] *dicto ocyus efficacia operis conſecuta eſt. Et hoc miraculi argumentum, celeritas in operando.* In ea quoq; verba, *conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ,* ita ſcribit D. Auguſtinus,[f] *Parum erat, quod dicebatur in uſum claudus rediſſe, vires cum ſanitate reſtituuntur: non enim dicit, reſtitutæ ſunt, ſed, conſolidatæ ſunt baſes: tam abundantem recipiunt ſanitatem, ut ferant laborem.*

d 1. Cor. 15. v. 52.

e Hom. in Pſal. 115.

f Serm. 26 de Verb. Apoſt.

Quid verò eſſe cauſæ putemus, cur omninò primum miraculum, vel certè quod Spiritui ſancto viſum eſt, vt commendaretur poſteritati tamquam à Petro factum, fuerit claudi curatio? Ambroſius[g] reſpondet, quoniam *Petrus petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia,*[h] *ideoq; ſicut in Eccleſiâ fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmat, & ut Chriſtianus iam non trepidus & imbecillis poſſit ſuper petram Eccleſiæ, ſed robuſtus & fortis incedere.* Nyſſenus:[i] *Is,* inquit, *qui à natiuitate claudus fuerat, ſpecioſam portam templi rurſus ijs, qui ſalui fierent, aperuit, cui aſſidens ſuæ ſanationis miraculo animas claudicantes ad Fidem adduxerat.*

Cur primum Petri miraculum fuerit claudi ſanatio?

g Serm. 68.

h Matth. 16. v. 18.

i Orat. de S. Stephan.

Prædictus ergò claudus *exſiliens ſtetit & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exſiliens, & laudans Deum. Laudabat* Devm, inquit Chryſoſtomus, *ut ora aſtantium obturaret: & ſuos quidem benefactores gratus comitatur, non tamen illos, ſed* Devm, *qui per illos ei benefecerat, admiratur.*

Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat

Digitized by Google

bat ad ſpecioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore, & exta ſi in eo, quod contigerat illi. Hic exclamare libet cum D. Bernardo. [k] *Quomodo lux iſta* (nominis effuſi vt oleum) *inſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur egrediens claudi unius corporales plantas ſolidauit & baſes, multosq́; ſpiritualiter cacos illuminauit. Numquid non ignem ſparſit, cum ait: In nomine* IESV *Chriſti Nazareni, ſurge & ambula?* k Serm. 18. in Cant.

Porrò ſanatus claudus *cùm teneret Petrum & Ioannem, cucurrit omnis multitudo ad eos ad porticum, qua appellatur Salomonis, ſtupentes.*

Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelita, quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini? quaſi noſtrâ virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Secunda Petri concio.

Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, glorificauit Filium ſuum IESVM, *quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem Sanctum, & Iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis. Auctorem verò vita interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. Et in fide nominis eius, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides qua per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum. Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis ſicut & principes veſtri. Deus autem, qua prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit.*

Pœnitemini igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata veſtra, ut cùm venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, IESVM *Chriſtum. Quem oportet quidem cælum ſuſcipere, uſq; in tempora reſtitutionis omnium, qua locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum, à ſæculo Prophetarum. Moyſes quidem dixit,* [l] *Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Do-* l Deut. 18.

minus Deus veſter de fratribus veſtris tamquam me, ipſum audietis iuxta omnia, quæ locutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annuntiauerunt dies iſtos. Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo, benedicentur omnes familiæ terræ. *Vobis primùm Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, ut conuertat ſe unusquisq; à nequitiâ ſuâ.*

m Gen. 12. 18. 22. & 26.

Multa verò & alia in eandem ſententiam Petrus dicebat, cùm ſacerdotes & magiſtratus templi atq; Saducæi interuenerunt, qui iniectis manibus comprehenſos eos in cuſtodiam in craſtinum tradiderunt, quòd moleſtè ferrent, doceri ab eis populum, & IESV exemplo & nomine induci mortuorum reſurrectionem. *Qui alienâ proditione, & manu comprehenderunt Chriſtum, iam in impietate creſcentes,* inquit Chryſoſtomus, & Oecumenius, *& audaciâ, ipſimet manus in Apoſtolos inijciunt*: quamuis publici magiſtratus operâ vtuntur, & publicè comprehendunt, vel tamquam vindices publicæ iniuriæ, vel, vt metum alijs condiſcipulis, eorumúe ſtudioſis incuterent, vel *quod*, vt ait Chryſoſtomus, ſeditionem vererentur multitudinis, quæ ſe nuper ad eos adiunxerat. *Erat enim iam veſpera*, eo enim die circa horam nonam claudus curatus erat, poſteaq; concio à Petro habita.

n Act. 4. v. 1. 2. &c.

Petrus cuſtodiæ mandatur.

Quinque autem millia hominum qui hæc audierant, eis crediderunt; non propter verbum modo, ſed etiam propter miraculum curati. Chryſoſtomus, & Oecumenius tertiam cauſam aſſignant, videlicet inconcuſſum animum, & ſingularem fortitudinem Apoſtolorum, dùm vincirentur.

Quinque millia conuerſi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXI.

Petri in Concilio Iudæorum imperterrita conſtantia.

POſtero die dùm Annas & Caiphas aliiq; ſacerdotes & ſcribæ conueniſſent, eos produci iubent ab eisq; requirunt, cuius hoc nomine feciſſent. Petrus Spiritus ſancti plenus, in Concilio huiuſmodi vſus eſt oratione: a (a Act. 4. v. 8.)

Principes populi, & ſeniores audite. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi in quo ille ſaluus factus eſt; Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI *Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis b qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Summa huius Apologiæ eſt, optare ſe, vt manifeſtum fiat, quod ipſi occultum vellent: & quidem lætandum iis fuiſſe, in eo quod acciderat: eſſe enim teſtificationem ſalutis, quæ tam diu à Meſſiâ exſpectata, iam aduenerat, cum illius virtute, quamuis ab eis crucifixi, claudo ſanitas collata ſit.

(Petri oratio in Concilio Iudæorum.) (b Pſal. 117. v. 22.) (Summa orationis D. Petri.)

Illi cùm Petri & Ioannis, quos idiotas & ignaros eſſe ſcirent, conſtantiam tantam cernerent, & virtus eorum magnam eis admirationem attulit & oratio. *Non* enim *verbis ſolis*, inquit Chryſoſtomus, *monſtrabant non curare ſe, de quibus iudicentur, & quod extrema intententur pericula, ſed etiam habitu & voce, & aſpectu, & in ſumma omnibus libertatem apud populum demonſtrabant per ea, quæ loquebantur.*

(Apoſtolorum ſumma in dicendo conſtantia.)

Cùmq;

Digitized by Google

Cùmq; hominem qui curatus fuerat, ſtantem cum eis viderent, nihil habebant quod contrà dicerent. Secedere tamen eos extra concilium pauliſper iuſſerunt, vt inter ſe quid faciendum eſſet conſtituerent. Rem eſſe ita claram & illuſtrem dicunt, vt eam ipſi iam negare non poſſent. Itaque hoc tantum placere, vt deinceps non loquerentur, aut docerent IESV nomine. Quod cùm eis imperarent, illi reſponderunt: Si æquum eſſet diuino iudicio, eos potius quàm Deum audire, ipſi viderent, Se autem non poſſe de ijs quæ vidiſſent & audiuiſſent non loqui. Eos tum cum minis dimiſerunt, cùm nullam ſatis iuſtam cauſam animaduerſionis inuenirent.

CAP. XXXII.

Petri terribile iudicium contra Ananiam fraudatorem, eiusq; coniugem Sapphiram.

a Act. 4. Vita communis in primitiuâ Ecclesiâ.

DIſcipulorum omnium eiuſmodi erat vitæ inſtitutum, vt nec quiſquam eorum quicquam haberet vt ſuum: a & ſi qui eis ſe adiungerent, omnia quæ poſſiderent venderent, pretiumq; ante Apoſtolos ponerent. Mirum ſanè fuit, etiam coniuges alienare agrum, non quia deerant ijs liberi, aut ſuppetebant facultates aliæ; ſed id affirmatur vniuersè de omnibus poſſeſſoribus agrorum, & domorum. Adeò flagrabant caritate ac fiducia in Deum, & de Apoſtolis tantam opinionem habebant, vt etiam iuncti matrimonio nihil ſibi neceſſariorum defuturum certò ſibi perſuaderent; quamuis omnium ſe rerum dominio ſpoliarent.

b Act. 5. V. 1. Ananiæ fraudatoris propoſitum.

Vir autem quidam Ananias b nomine cum Sapphira vxore ſua, cùm agrum vendidiſſet, multumq; de pretio detraxiſſet vxore conſciâ, partem quandam afferens ad pedes Apoſtolo-

Digitized by Google

Apoſtolorum poſuit. Baſilius ait,[c] quod *humanæ gloriæ cupiditate Ananias quicquid bonorum habebat* DEO *palam conſecrarat, ut hominum de ſe opinionem excitaret.* Hieronymus;[d] *Ideò,* inquit, *Ananias, & Sapphira puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Spiritui ſancto, & reſeruantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfectè ſeculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur. Alioqui licet liberè vel dare, vel non dare: quamquam ei qui cupiat eſſe perfectus, præſens paupertas futuris diuitijs compenſanda ſit.* Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ[e] putat, quod vterq; iſtorum ſe ſocietati aggregauit, vt neceſſaria vitæ abſque labore haberent, hoc eſt, quod alijs verbis Lyranus dicit, voluiſſe de medietate pretij habere expenſas communes, ſicut habebant alij, & de aliâ medietate viuere lautius in occulto. Petrus Damianus;[f] *pro ſuſtentanda,* inquit, *quaſi longa vita uterq; retinuit aliquid. Fortaſſe etiam cùm animaduerterent perſecutionem commotam eſſe, vel ſibi hac ratione conſultum de viatico voluerunt, ſi migrandum foret, vel ut ſe redimerent, ſi opus eſſet.* Innuit id Hieronymus,[g] *appellans diſpenſatores timidos, ac metuentes famem, quam vera fides non timet.*

[c] Serm. 1. de Inſtit. Monach.

[d] Epiſt. 150 ad Hedib. q. 1.

[e] In Hiſt. Act. c. 22.

[f] Ep. 15 de con. ſec. c. 3.

[g] Epiſt. 8. ad Demetriad.

Petri iudiciũ contra Ananiam.

Quod cùm Petrus Spiritus ſancti permotione cognouiſſet, tamquam ſummus & diuinus iudex ab Ananiâ quæſiuit, cur à Satanâ impulſus, Spiritui ſancto mentitus eſſet, fraudaſſetq; de agri pretio, cùm præſertim maneret ei, venditaq; poſſeſſio in illius eſſet poteſtate. Neq; enim eum mentitum eſſe hominibus, ſed Deo. Hæc cùm Ananias audiret, cecidit, & ſpiritum edidit.

Lucas non exprimit quòd Petrus Ananiam interfecerit; Origenes negat:[h] ſed cùm Ananias non ferret adeò acrem reprehenſionem præſertim illorum verborum: *Cur impleuit, ſeu tentauit Satanas cor tuum?* præ nimio mærore mortuum concidiſſe. Indicat eundem interfectionis modum

[h] Tract. 8. in Matth.

Digitized by Google

i 2. Dial. c. 30. Gregorius, ⁱ dicens, *quod increpando utriq; coniugi vitam abſtulit, qui reddidit Thabitæ orando.* ᵏ

k Act. 9. v. 4. Dionyſius Carthuſianus docet, ab Angelo percuſſum Ananiam, & coniugem Sapphiram. Auguſtinus; ſiue apud

l lib. 3. c. ult. illum Auctor Operis de Mirabilibus Scripturæ ˡ affirmat, à Petro, ſeu Petri imperio, & verbis, & Caſſianus, ᵐ *more Apoſtolico,* videlicet tamquam cauſa, vt Theologus loqueretur Phyſica inſtrumentali eſſe interfectos.

m lib 7 de Inſtit renunc. c. 14.

Porrò hæc res omnium animos vehementi metu perculit. Vix autem trium horarum ſpatium interceſſerat, cùm Sapphira eius vxor huius rei ignara, introiuit. Eam Petrus rogauit, an tanti agrum vendidiſſent? quæ cùm annuiſſet, reprehenſaq; eſſet ab illo, iiſdem verbis quibus vir eius ſtatim id quod ei Petrus prædixerat, cecidit mortua. *Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam: & extulerunt; & ſepelierunt ad virum ſuum.* Addit Carthuſianus, *ut carnis coniunctionem ſequeretur coniunctio pulueris, & quia de coſta viri facta eſt mulier.* ⁿ *Nullus ibi tamen,* inquit Chryſoſtomus, *ingemuit, nullus eiulauit; cùm diuinum iudicium venerarentur, & diſcerent Deum non eſſe contemnendum.*

Item contra Sapphiram vxorem.

n Gen. 2. v. 21.

CAP. XXXIII.

Petri in miraculis edendis excellentia, ex quâ primatus eius aſſeritur.

QVanta autem vis in Petro curandorum morborum, fuerit, quantaq; omnium de eo in hoc genere opinio, hinc intelligi licet, quòd cùm omnes ægros & debiles in vijs quibus iter facturum eum ſperarent, poſuiſſent, non exſpectabant, dum eos ipſe tangeret, ſed vim in eius vmbra

Digitized by Google

brâ tantam ineſſe putabant, vt ſe ac ſuos liberatum iri confiderent, ſi ea ad ipſos perueniret. Quæ eos ſpes minimè fefellit. [a] Omnes enim qui tum è finitimis oppidis Ieroſolymam venerunt aut delati ſunt, Petrus ſanitati priſtinæ reſtituit. *a Act. 5. v. 15.*

Sicut igitur inter omnes Apoſtolos, Petrus à Chriſto primatu in omnes eſt auctus, ita etiam præclariora quædam, & inſigniora ab eo miracula edi conceſſit. Nam quamuis ſpectatâ virtute actiuâ, quam infinitam eſſe, & diuinam oportet, omnia miracula ſint paria, tamen conſiderando res quæ fiunt, quarum non eadem eſt natura, & perfectio, aut modum, qui in ijs faciendis adhibetur, inæqualia ſunt. Quare mortui ſuſcitatio maius miraculum eſt, quàm emundatio leproſi, & curare per ſolam vmbram mirabilius eſt, quàm per contactum vel verbum. Neq; tamen vmbra per ſe operabatur, cùm ſit priuatio, ſed præſentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, ſiue ipſe eſſet cauſa moralis, ſiue etiam phyſica inſtrumentalis.

Miracula omnia ſunt paria quoad virtutem, ſed quoad res diuerſa.

Cæterùm ex hac vmbrâ Petri, ſiue ex tam proprio vni illi curando modo, primatum illius colligit Gloſſa Interlin. & Aluarus Pelagius, [b] Arator quoq; Diaconus [c] de his præclaro carmine ita cecinit:

Petri primatus hinc colligitur.

b lib. 1. de planctu Eccleſ. cap 5.

c lib. 1. in Acta.

Excute Petre gradus: tecum medicina ſalutis
Ambulat, adde viam, is pes eſt ad gaudia velox
In pedibus non eſſe moram, tua ſemita vita eſt,
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus umbra
Corpora cuncta leuas, atq; hoc ſimul inſcia voti
Sumit turba tacens; quod cum rogat accipit unus.
Quærite quos agitat tanti reuerentia facti;

Digitized by Google

Quid typicum res iſta ferat, librisq́ volutis
Noſcite quòd ſoli eſt conceſſa hæc gloria Petro.
Quaque ſub hac ſpecie lateant documenta videte.

Quoniam quod hîc in vmbrâ geritur, per illum, *In imagine enim pertranſit homo*, [d] reipsâ geratur in cælo, idem pluribus verſibus docet, hoc eſt, vt quod ſupremâ, quam habet poteſtate, ligatur, & ſoluitur in terrâ per ſacramenti quaſi vmbram, ratum firmumq́; ſit in cælo. Haud multum ab Aratore abludit Beda ait enim. *Petrum eſſe typum Eccleſiæ, ut cùm ille rectius incedit umbrâ comitante, iacentes erigat, quoniam Eccleſia mente, & amore cæleſtibus intendens; quaſi umbraticè tranſcurrit in terrâ: & hic ſacramentis corporalibus figurisq́ cæleſtium renouat; quos illic perpetuis remunerat donis.*

d Pſal. 38. v. 7.

Leo IX. [e] indidem argumentatur eundem primatum Petri, eumq́; rectorem fuiſſe vtriuſq; Eccleſiæ præſentis, & futuræ, ac in ſe portendiſſe ſtatum eiuſdem, ita vt per ſecretam vim ſacramentorum viſibilium ſolidam tribueret ſpeciem in cælo, quoniam *nunc videmus per ſpeciem in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* [f]

e Epiſt. 1. ad Mich. Conſt. c. 18.

Petrus rector præſentis Eccleſiæ, & futuræ.

f 1. Cor 13. v. 12.

Decuit ſanè inſignem Petrum eſſe in ſignorum perpetratione, quia *Iudæis, qui ſigna petunt*, [g] peculiariter deſtinatus erat: quemadmodum Paulus, qui *Gentibus, ſiue Græcis ſapientiam quærentibus*, ſapientia excelluit, vt Carthuſianus animaduertit. Argumentatur B. Augustinus; [h] *ſi tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quanto magis gratia, nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pænalium vinculorum: ſi tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincientis? Vt umbra*, inquit, *venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis*

Petrus in miraculis excellens eſſe debuit.

g 1. Cor 1. v. 22.

h Serm. 29. de Sanctis.

Ex vmbrâ Petri qualiter D. Aug. argumentatur.

ſalutis; quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis?

CAP. XXXIV.

Petrus carceri includitur, ſed ab angelo liberatus in Concilio cæditur. Iacobum Ieroſolymitanum Epiſcopum ordinat.

LAtè diffundebatur fama Apoſtolorum, & ad eos conuocabat externam multitudinem, non magis curioſam nouitatis, quàm auidam propriæ vtilitatis. Celebrabant famam præterita miracula, & recentia etiam duorum coniugum ob fraudem oblatæ rei ſuæ cædes.

Tantam Chriſti gloriam in Petro, ac cæteris Apoſtolis diuinitùs illuſtratam non ferentes Principes ſacerdotum, furore quodam exagitati, inijcientes in illos manus, in carcerem detruſerunt. *At Angelus Domini*, inquit Lucas, [a] *per noctem aperiens ianuas carceris*, eduxit illos, iuſſitq; intrepidè Euangelium prædicare: qui diluculo templum ingreſſi, cæperunt confluentem docere populum. Cùm interim coacto Concilio ſeniores, ipſos adhuc carcere detineri putabant, Apoſtolos adduci iuſſerunt. Quæſiti ſunt in carcere, at non inuenti, licet clauſum eſſet oſtium; ſed eos in templo prædicare Euangelium nunciatum eſt. Tunc qui miſſi ſunt magiſtratus, ac miniſtri, abſque vi aliquâ ſiſtunt eos ſeniorum Concilio. Cùmq; arguerentur ſpreti mandati: Petrus pro cæteris, ex more, ad factâ excuſationem magnâ animi libertate hæc effatus eſt: [b] *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit* IESVM, *quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc principem & Saluatorem Deus exaltauit dexterâ ſuâ, ad dandam pænitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccato-*

Petrus cum ſociis carceri includitur.

a *Act. 5. v. 19.*

Diuinitùs liberatur.

b *Ibid. v. 29. & ſequ.*

Petri oratio in Concilio.

peccatorum. Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. His & alijs tum Chriſti gloriam, tum ipſorum in illum admiſſa adeò exaggerauit, vt de nece Apoſtolis inferenda conſilium ſacerdotes inierint; ſed ſermone Gamalielis cohibiti, illos cæſos dimiſerunt. *Ibant autem gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine* IESV *contumeliam pati.* [c]

Cæſus cum Apoſtolis.

c Ibid. & 41.

Cùm verò credentium in Chriſtum numerus in dies magis magiſq; augeretur: inter cetera, quæ ad coaleſcendam naſcentem Eccleſiam ſunt ab Apoſtolis ſalubriter inſtituta, Iacobus Alphæi cognomento Iuſtus, idemq; frater Domini dictus, à Petro Apoſtolorum principe Hieroſolymorum ordinatur Epiſcopus, ſeditq; annis viginti nouem, de quo Chryſoſtomus: [d] *Si quis,* inquit, *à me percontaretur, quomodo Iacobus ſedem Ieroſolymitanam accepit? Reſponderem ego; hunc totius orbis magiſtrum propoſuiſſe Petrum.* Porrò ipſum ordinationis myſterium, quod conſecrationem vſitatiori vocabulo dicere conſueuimus, ab eodem Petro, Ioanne, ac Iacobo fratribus eſſe conſummatum, Epiſtola, quæ dicitur Anacleti, [e] teſtatur, traditamq; à Petro formam eſſe, vt non minus, quàm à tribus Epiſcopis, electus Antiſtes conſecraretur.

Iacobus à Petro Epiſcopus ordinatus.

d In Ioan. Hom 87.

e Ad Epiſt. Ital tom. 1. Concil.

CAP. XXXV.

Petri geſta apud Samaritanos.

SImon quidam erat in quodam oppido Samaritanorum, magicis artibus & rationibus eruditus. Is cùm longo tempore ante aduentum Philippi, qui fuit ex ſeptem diaconis vnus, Samaritanos ſuis illis artibus præſtigijſq; ita captaſſet ſemper, vt illum vim magnam eſſe Dei dicerent: tamen

Digitized by Google

tamen Philippo multa de regno Dei ibi diſſerenti cùm multi aſſentirentur, ipſe etiam aſſenſus eſt, aquaq; ſalutari expiatus, eum ſequebatur. Apoſtoli autem qui erant Ieroſolymæ, cùm Samariam diſciplinam noſtram approbaſſe audiſſent, eò Petrum Ioannemque miſerunt, a vt Samaritani oratione eorum, manuumq; impoſitione Spiritum ſanctum acciperent. a Act. 8. v. 14.

Cùm audis, miſerunt, *non propterea*, inquit Caietanus, *Petri principatum neges. Nam ſi minor ſimpliciter, & abſolutè eſt, qui mittitur, etiam impar inuenitur alijs Apoſtolis. Mittunt ergo non imperio ſed fraterna charitate, ac impulſione: ut multi fratres mittunt Epiſcopum quandoque ad Papam, vel Cæſarem.*

Apoſtoli non mittunt Petrū vt ſuperiores ſed vt inferiores.

Exempla de huiuſmodi miſſionibus leges apud Baronium & Lorinum.

Petro verò potiſſimùm delata eſt huiuſmodi cura, tamquam principi Apoſtolorum, cuius auctoritate res tanta probari debuit, Samaritanorum videlicet ad Eccleſiam aggregatio, quos Iudæi peius oderant quàm Gentiles, quorum Gentilium iniquo animo ferebant in Eccleſia eandem cum ipſis aſſociationem, debuit etiam Spiritus ſancti in eoſdem collatione; quæ eſt propria Epiſcoporum, res tam noua, & difficilis confirmari.

Petrus cur præ aliis mitti debuit.

Porrò Simon, quem Magum paulò antè fuiſſe diximus, cùm ita Spiritum ſanctum dari ab Apoſtolis cerneret, contendit ab eis vt pretio ad hanc vim & poteſtatem perueniret. Petrus qui ſcelus hominis perſpectum haberet, Pecunia, inquit, tua tibi ſit exitio, quòd Dei munus pecunia conſtare, quæriq; exiſtimaſti. Itaque eum admonuit, vt ipſum iſtius ſceleris pæniteret, Deumque ipſe rogaret, ſi fortè hoc animi tam peruerſum præpoſterumq; iudicium remitteret. Ille Apoſtolos orauit, vt Dominum cauſa ſua rogarent, ne quid eorum quæ dixiſſent, ei contingeret.

Simoniacorū origo.

Digitized by Google

Poſt hæc Petrus & Ioannes, cum ea quæ dicta ſunt, in Samariâ operati eſſent, Ieroſolymam reuerſuri, peragrantes Samariæ regiones, ijs qui in eis agebant populis, Euangelium prædicauerunt, ac demùm ſe Ieroſolymam receperunt.

CAP. XXXVI.

Petrus Antiochenam Eccleſiam fundat. Aeneam paralyticum ſanat. Tabitham mortuam ſuſcitat.

a Act. 9. v. 31. Petri ſollicitudo in adminiſtratione Eccleſiarum.

PAx, qua Eccleſia per omnem Iudæam [a] potita eſt, in cauſa fuit, vt Apoſtoli, qui ſe in perſecutione digreſſis alijs continuerant Ieroſolymæ, ſubinde exirent, ac diſcurrerent prædicabundi. Hinc Petrus obambulabat ac luſtrabat vniuerſos tamquam dux exercitus, & cæteris in rebus ad Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectantibus ſemper primus, vt hactenus vidimus, & hic obſeruat Chryſoſtomus: *Quemadmodum*, inquit, *Dux in exercitu obambulans, conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, quæ ſuo aduentu egeat. Vide ubique illum circumcurſare & primum inueniri. Quando eligendus Apoſtolus; hic primus: quando loquendum Iudæis, non eſſe Apoſtolos ebrios: quando curandus claudus: quando concionandum, hic præ alijs eſt: quando agendum contra principes: quando contra Ananiam: quando ab umbrâ ſanationes fiebant, hic erat, Et ubi erat periculum hic; & ubi moderatio: ubi autem tranquillitate res plenæ, communiter omnes; ſic non exigit honorem maiorem. Iterum quando fieri miracula opus erat, ipſe proſilit; & hic iterum ipſe per ſe laborat, ac iter facit.*

b Tom. 1. Annal. Petrus Antiochenæ fundator Eccleſiæ.

Exiſtimat Card. Baronius [b] Petri viſitationem hanc ferè biennalem fuiſſe, ac interim perueniſſe Antiochiam, quo præuenerat diſperſorum Diſcipulorum prædicatio, atq; tunc

tunc eam Eccleſiam fundaſſe, & inſtituiſſe, videlicet Chriſti anno trigeſimo octauo, vt indicat Hieronymus.[c] Euſebius[d] prodit cæpiſſe ſedere Petrum Antiochiæ ducenteſima tertia Olympiade, quarto anno eiuſdem, & vltimo Tiberij, hoc eſt, dicto illo Chriſti tempore, atque ex eodem dicitur adminiſtratam à Petro eam Eccleſiam per ſeptem annos: quod item Damaſus[e] affirmat, & Gregorius,[f] alijq; permulti. Teſtatur idipſum celebritas Cathedræ Petri Antiochiæ.[g]

[c] *In c. 2. ad Gal.*
[d] *In Chron.*
[e] *In Pontificali*
[f] *lib. 6. Ep. 37.*
[g] *22. Februar.*

Voluit Petrus, ac fortè etiam rogantibus id illum cæteris Apoſtolis, vt cùm Samariam eum miſerunt,[h] in metropoli Syriæ Antiochia, vbi Iudæorum maximus numerus ciuitatis iure vtens degebat, religionis fundamenta ſtabilire, & ſedem locare, præcipuamq; ei dignitatem conferre.

[h] *Act. 8. ℣. 14.*

Hallucinatus itaq; grauiter Onuphrius Panuuinus,[i] & iure meritoq; magnis argumentis exagitatur à Baronio,[k] cùm contra totius Antiquitatis conſenſum contendit, Eccleſiam Antiochenam nonniſi poſt Romanam eſſe à Petro inſtitutam. Lucas non meminit Petrũ id feciſſe, fateor; atqui hoc inter alia præterijſſe nominatim Hieronymus[l] monuit.

[i] *In notat. ad Platinam*
[k] *Tom. 1. Annal.*
[l] *In c. 2. ad Gal.*

Factum eſt autem, ut Petrus, dùm tranſiret uniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ.[m] Hæc in Palæſtinâ ſeu Iudæâ in littore Mediterranei, ſiue magni maris ciuitas eſt inter Ioppen & Ieruſalem, diſtans à Cæſareâ circiter mille paſſus. Illam Ceſtius in principio Iudaici belli incendit, vt ait Ioſephus;[n] poſtea verò quàm inſtaurata fuit, nomen ei Dioſpolis impoſitum eſt, teſte Hieronymo.[o] *Plinius*[p] inter decem Iudææ Toparchias, tertio loco Lyddam collocat: *Reliqua Iudæa,* inquit, *diuiditur in Toparchias decem, eo quo dicemus ordine, Hierichuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam: Emmaum; Lyddam: Iopicam: Acrabatenam: Gophniticam; Thamniticam: Betholenen, Tephenem, Orinen, in quâ fuère Ieroſolyma,*

[m] *Act. 9. ℣. 32.*
Lydda qualis ciuitas fuerit.
[n] *lib. 2. de bello Iud. c. 23*
[o] *Lib. de loc. Hebr. & Ep. 27*
[p] *Lib. 5. c. 14.*

longè clariſſima urbium Orientis, non Iudaæ modo: Herodium cum oppido illuſtri eiuſdem nominis.

Ibi Petrus Æneam quendam, qui annis octo iacuerat in grabbato paralyticus, curauit, quod cùm Lyddenſes & Saronenſes comperiſſent, ad Chriſtianam religionem deducti ſunt. Hieronymus q docet, quòd Saron, vel Saronas (quod interpretatur Campeſtris) eſt regio Cæſareæ Palæſtinæ vſq; ad oppidum Ioppen pertingens, & paſcendis gregibus apta, quæ iuxta ſoli qualitatem Petro prædicanti fidei continuò fructus germinauit. Præterea quòd eſt omnis iuxta Ioppen, Lyddamq; regio, in quâ latiſſimi campi fertilesq; tenduntur, & omnis illa plaga, quæ iuxta Actus Apoſtolorum Saronas appellatur. Deniq; quòd & inter montem Thabor, & ſtagnum Tyberiadis regio, Saronas nominatur.

q *lib. de loc. Heb & lib. 30. in c 33 Eſai. & in Abdiam*

Sarona regio vbi ſit.

Non procul hinc diſtat Ioppe, ſecundum Hieronymum r oppidum Palæſtinæ in tribu Dan, in cuius littore tempore quoq; ſuo ſaxa monſtrarentur, in quibus Andromeda religata Perſei quondam ſit liberata præſidio, ac portum fuiſſe fugientis Ionæ, diſtantem à Bethleem quadraginta ſex milliaribus.

r *Lib de loc. hebr. in c 1. Ion. & c. 27. & 46 & 129.*

Ioppe quæ ciuitas fuerit.

Putant Solinus ac Mela extitiſſe ante diluuium: videturq; nonnullis à Iaphet filio Noë inſtitutam ac denominatam: etſi alij malunt nomen datum à Ioppe Æoli filiâ, & Cephei vxore. Nunc vulgò vocant Iapho, aut Iaphe, aut Iapha, aut Iaphet, Veneti Zapho, & qui peregrinantur in terram ſanctam, in eum portum primùm deſcendunt. Vnde terreſtri itinere vnius diei, aut duorum inſuper, triumúe horarum perueniunt in Ieruſalem: quod innuit etiam Hieronymus in eâ illius diſtantiâ à Bethlehem quam diximus.

Hieronymus Ioppem & Lyddam confundit.

Quamquam videtur idem Hieronymus confundere Lyddam, & Ioppem, cum ait *Lyddam verſam in Dioſpolim, Dorcadis*

cadis, atq; Aeneæ reſurrectione ac ſanitate inclitam. Fortaſſe propter vicinitatem vtriuſq; ita locutus eſt. Non longè ab hoc portu monſtratur ſaxum excelſum, ſuper quo Petrus lauans retia vocatus eſt à Chriſto ad Apoſtolatum.[s] *s Luc. 5. v. 2. & ſequ.*

In hac ciuitate Ioppe habitabat Tabitha (quæ Dorcas dicitur) mulier tùm virtutibus omnibus, tùm liberalitate in egentes prædita. Cùm autem ex morbo interijſſet, diſcipuli qui Ioppæ erant, miſſis duobus Lyddam,[t] quoniam haud procul inde aberat, Petrum rogant, vt ad ſe venire ne grauaretur. Venit ille; circumſtant eum omnes viduæ flentes, eiq; veſtes oſtenderunt, quas ipſis Dorcas faceret. Eiectis foras omnibus, ipſe orat, conuerſuſq; ad cadauer, *Tabitha*, inquit, *ſurge*: at illa continuò oculos aperit, quam ſua manu erectam, ſanctis ac viduis viuam reddidit. Cuius miraculi fama cùm totam vrbem peruaſiſſet, multi crediderunt. *t Act. 9. v. 38.*

CAP. XXXVII.

Petrus Cornelium Centurionem ad fidem Chriſti cum familiâ conuertit, & baptizat.

PEtrus Ioppæ apud Simonem quendam coriarium, eo tempore, quo Thabitam mortuam excitauit, habitabat. Paucis interiectis diebus, hora diei ſexta cùm eſuriret oratione completa, cibum capere voluit. *Mirandum*, ait Ambroſius,[a] *cur ſanctum virum poſt orationem fames ſequatur, cùm ſoleat fames oratione depelli, & eſuriens anima nonniſi obſecrationibus ſaginari. Sed puto Petrum poſt orationem non cibum eſuriſſe hominum, ſed ſalutem. nec inediâ vexatum corporis, ſed inediâ credentium laboraſſe. Cùm enim Iudaicus populus perfidus, & ingratus illo prædicante Chriſto non crederet, famem quodammodo Petrus ſui officij ſuſtinebat: famem enim patitur, qui minimè fructum ſui laboris aſſequitur.*

Petri habitatio Ioppæ.

a Serm. 10. ſeu 1. de S S. Petro & Paulo.

Petrus quomodo eſuriiſſe dicatur.

Equidem facilè mihi perſuaſerim, in oratione Petrum etiam de Iudæorum ſollicitum ſalute cogitaſſe, ac Deo illam commendâſſe: nec tamen dubito quin perinde vt ſcribitur, propriè eſurierit, vt in deſerto [b] Chriſtus: voluit ergo Ambroſius dicere, intenſiorem animi famem fuiſſe, quàm corporis: quo etiam in ſenſu Beda, Gloſſa, alijq́; debent intelligi, cùm de dictâ eſurie ſpirituali explicant.

b Matth. 4. v. 2.

Pranſuro Petro deſunt cocorum apparatus, deſunt obſequia famulorum, ſed quod eſt melius, inquit Ambroſius, [c] *miniſteria diuina non deſunt, & utili commutatione ſancto viro quod deeſt in terris, abundat in cælis: ut reficiatur enim Petrus, non cellarium ſollicitè reſeratur, ſed cælum ipſum protinus aperitur. Hoc docent quæ ſequuntur.*

c Serm. 10.

Viſio Petri in extaſi.

Cælum apertum viſus eſt videre, [d] ex eoq́; linteum magnum quatuor initijs & oris in terram demitti, in quo eſſent omnia genera quadrupedum, ſerpentium, & volucrum. Secuta eſt tum vox, ſiue admonentis, ſiue imperantis, vt ea occideret & comederet: cumq́; negaſſet ille ſe vllâ re veſci poſſe, quæ immunda ſacraq́; eſſet, tum vocem audire viſus eſt dicentis, quod Deus conſecraſſet & expiaſſet, id ne profanũ diceret. Quod cùm iterùm ac tertiò factum eſſet, vas illud ſpeciem lintei præferens, in cælum receptum eſt. Petrus cùm ſe collegiſſet, cogitare ac reputare ſecum cæpit, quidnam viſio illa portenderet.

d Act. 10. v. 11.

Intereà & viri tres miſſi à Cornelio centurione cohortis Italicæ, ad ianuam Simonis coriarij perueniunt, qui euocatis nonnullis quærunt, nùm Simon Petrus ibi habitaret: & ſpiritus eum admonuit, eſſe tres qui eum vellent, cum quibus proficiſci ne dubitaret, quòd eos ipſe miſiſſet. Itaq; deſcendens, vltrò eis ſe obtulit, dixitq́; eum eſſe ſe quem quærerent, rogauitq́; quid veniſſent. Illi ſe à Cornelio Centurione vi-

Digitized by Google

ne viro probo cuius de virtute & liberalitate in egentes Iudæi omnes teſtarentur, miſſos eſſe dixerunt, quòd angelus ſanctus eum admonuiſſet, vt illum accerſendum curaret; poſtero die vnà cum illis profectus, ſequenti Cæſaream peruenit.

Cæſarea vbi ?

Eſt autem Cæſarea vrbs Palæſtinæ, in littore maris valdè munita, ac proinde à militibus Romanis cuſtodita. Vocat eam Clemens Romanus [e] & alij Turrem Stratonis.

e 6. Conſtit. c. 10.

Petrus peruenit ad Cornelium.

Cornelius euocatis neceſſarijs & amicis eos exſpectabat. Itaque vt eum appropinquare cognouit, ei obuiam prodijt, miſitq; ſe ad pedes eius vt illum adoraret. Quod ille facere, cùm ſe etiam hominem eſſe diceret, prohibuit. Domum vnà cum eo loquens cùm intraſſet, vt multos qui conueniſſent, vidit, eos certò ſcire dixit, nefas eſſe viro Iudæo ſocietate coniungi cum alienis aut ad eos accedere. Sed quoniam Deus ipſi oſtendiſſet, neminem hominem profanum aut im̃undum eſſe habendum, propterea accerſitum ſe non grauatè veniſſe. Hinc quærere cœpit, quamobrem ab eis accerſitus eſſet. Tum Cornelius quatriduò antè expoſuit, cùm ſolus domi ſuæ horâ diei nonâ oraret, virum quendam veſte candidâ ornatum ita viſum eſſe qui & orationem ipſius & eleemoſynas Deo acceptas grataſq; diceret, ac moneret, vt ipſe Ioppâ Simonem Petrum accerſeret: itaq; ſe gratias illi agere dixit, quod veniſſet, & ſimul ſe paratos ad audiendum id omne, quod ei à Domino præceptum eſſet.

Petrus Cornelio, eiusque familiæ fidem Christi annunciauit.

Petrus cùm hæc audiſſet, ſibi compertum eſſe dixit, nullius rationem à Deo potiùs quàm alterius, haberi, ſed acceptos grátoſq; illi eſſe omnes apud omnes gentes; qui eum timeant, iuſteq; vixerint. Verbum miſiſſe Deum filijs Iſraeliticis quod pacem IESV nomine nunciaret, eum eſſe Dominum omnium. Eos ſcire verba habita eſſe ab illo per vniuer-

ſam Iudæam, quibus à Ioannis baptiſmo intellectum ſit, Iesvm à à Spiritu ſancto vnctum eſſe, eundemq́; omnes qui à Diabolo oppreſſi eſſent, pro ſua benignitate curaſſe, cùm Deus in eo ineſſet, & cum eo verſaretur. Se ac condiſcipulos teſtes eſſe eorum omnium, quæ ipſe in Iudæa Ieroſolymæque feciſſet. Eum cùm Iudæi cruci ſuffixiſſent, tertio die ab inferis excitatum eſſe oſtenſumq; non omni populo, ſed ipſis qui à Deo prouiſi eſſent, conuiuioq́; ab eo adhibiti vnà cum eo ediſſent atq; bibiſſent, cùm à mortuis excitatus eſſet. Eundem eis imperaſſe, vt populum docerent, ac dicerent pro teſtimonio, ipſum à Deo viuorum & mortuorum datum eſſe iudicem, Eum Prophetas omnes oſtendere, cuius nomine omnibus qui ei crederent, errantibus & peccantibus venia daretur.

Spiritu ſancto imbuuntur Cornelius & domeſtici.

Nondum finem dicendi fecerat, cùm Spiritus ſanctus in eos deſcendit, qui eum audiebant. Quos cùm linguis loquentes, & Deum laudantes cernerent, Iudæi Chriſtiani, qui cum Petro venerant, obſtupuerunt, quòd munus Spiritus ſancti ad Gentes etiam pertineret.

Baptizantur.

f q 84. in Leuit. & 33 in Num.

g Lib. 50 Homil. in Hom. 23.

h Lib. 2. Epiſt. 1. & 72.

Tum Petrus eos Iesv Chriſti nomine baptizandos expiandosq́; curauit, ne, quod notat Auguſtinus,[f] *viſibile ſacramentum omitteretur, cuius effectum ſine ipſo tribuit interdum Deus, ut ſe oſtendat præcipuum, primariumq; gratiæ auctorem.* [g] Eadem eſt ante Auguſtinum Cypriani [h] doctrina dicentis, *neceſſarium eſſe ultra Spiritum ſanctum etiam baptiſmum, & Apoſtolum Petrum diuini præcepti, atq; Euangelij memorem præcepiſſe, ut baptizarentur ijdem illi qui iam fuerant ſancto Spiritu pleni, ut nihil præter miſſum videretur, quo minus per omnia diuini præcepti, atq; Euangelij legem Apoſtolica magiſteria ſeruarent.*

i 2. Febr.

k 13. Sept.

Martyrologium,[i] quidem Romanum, & Menologium [k] Græcorum tradunt baptizatum à Petro Cornelium: ſed quod

quod Petri fecit alius iuſſu, ipſe cenſetur feciſſe. Nihil tamen obſtat vel inſignem Cornelij perſonam baptizare Petrum voluiſſe, vel reliquos quoq; familiares eiuſdem.

Tunc rogauerunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus. l *Pro eorum conſolatione, & pleniore inſtructione, & præſertim ex dilectione, quam ad tam felicem & glorioſum conceperunt magiſtrum,* inquit Carthuſianus, *patrem, atque Apoſtolum: nec dubium quin iis conſenſit.* *l Act. 10. v. 48.*

Ieroſolymam cùm Petrus paulò pòſt adijſſet, Iudæi qui noſtram diſciplinam comprobaſſent, eum grauiter obiurgarunt, m quòd ad homines, qui præbutium haberent, diuertiſſet. Quibus cùm rem omnem ordine narraſſet, ita in eius ſermone acquieuerunt, vt Deo gloriam tribuerent, quòd etiam Gentibus pænitentiæ locum ad vitam dediſſet. Petrus rationem reddit conuerſionis gentilium. *m Act. 11 v. 2. & ſequ.*

CAP. XXXVIII.

Petrus ab Herode in vincula coniectus, per Angelum educitur. De eisdem vinculis nonnulla narrantur.

IIsdem ferè temporibus Herodes rex Iacobum Ioannis fratrem ſecuri feriendum curauit. Quod cùm Iudæis probari ac placuiſſe cerneret, a Petrum etiam comprehendi iuſſit, & in vincula conijci, ijs ipſis diebus, quibus Iudæi panibus fermento confectis veſci non ſolent, vt eum poſt Paſcha populo produceret; Eccleſia toto illo tempore Petrum precibus ſuis Deo commendare non deſiſtebat. *a Act. 12. v. 3.* Petrus in vincula coniicitur.

Fauet maximopere Petri ſuper omnes primatui, quòd pro illo vno incumbit Eccleſia orationi, non aliàs vnquã pro alio, (quod quidem legatur expreſſum) aut pro Iacobo nuper inter- Oratio pro Petro totius Eccleſiæ.

Digitized by Google

interfecto. Adeò Petrum omnes amabant, ac æſtimabant, vt ſe qui pro tanto orarent viro, indignos vel non reputauerint, vel ne cogitauerint quidem.

Nocte autem quam is dies ſequebatur, quo eum Herodes producturus erat, Petrus inter duos milites vinctus catenis duabus dormiebat, & cuſtodes ad ianuam carcerem cuſtodiebant, cùm Dei Angelus præſtò fuit, qui excitato Petro, vt ſurgeret, veſtemq; ſibi ſumeret, ſeq; ſequeretur, imperauit. Ille catenis repentè è manibus elapſis, ſic eum ſequi cæpit, vt ſibi viſum oblatum exiſtimaret. Nec verò ab eâ erratione antè liberatus eſt, quàm præteritis primis & ſecundis vigilibus, portaque Ferrea quæ eis vltrò aperta eſt, quæ eadē ad vrbem ferebat, viaq; vna confecta, ab eo Angelus diſceſſit. Tùm demùm cùm ſe collegiſſet, certò ſcire ſe dixit. Angelum à Deo miſſum eſſe, qui ipſum è manibus & poteſtate Herodis eripuiſſet, & Iudæorum exſpectatione.

Petrus ab Angelo educitur è carcere.

Domum cùm veniſſet Mariæ matris Ioannis, qui Marcus dictus eſt, in qua multi orabant, pulſauit fores. Cùmq; puella quædam Rhode nomine accurrens, quiſnám pulſaret, rogaret, cognita Petri voce non aperuit, ſed geſtiens lætitia omnibus nunciatum rediјt, Petrum ad fores ſtare. Illi qui eum in carcerem coniectum cuſtodiri etiam exiſtimarent, primùm inſanire eam dixerunt, deinde cùm illa ita eſſe affirmaret, eius Angelum eſſe fatebantur, in eaq; ſententia permanſerunt, quoad Petrus qui ſemper pulſabat, intromiſſus, rei veritatem comprobauit. Ipſe manu indicto ſilentio, eis rem omnem ordine expoſuit, eoſque rogauit, vt ea ipſa Iacobo & condiſcipulis nuntiarent; & egreſſus abiјt in alium locum.

De carcere & vinculis Petri nunc quædam ſubiungam. Erat is non procul à regia, ait Auctor ſermonis de Catenis

De carcere Petri.

Petri

Petri apud Surium, & à militaribus cohortibus, quæ Petrum obſeruabant, præter aſſignatos quatuor quaterniones. Chryſoſtomus [b] præterea vult in intimum carcerem coniectum Petrum. Adrichomius [c] carcerem Betiſo ſeu Betitſo domui Pilati proximum facit, aitq; eundem eſſe, in quem nunc Petrus, & alij anteà Apoſtoli cum ipſo coniecti ſunt. Sed qui deſcribunt loca ſancta, Petri carcerem cum portâ ferreâ, ſtatuunt intra pomæria prope Caluarium montem, & vallem cadauerum, & portam ſtercoris, & eam, quæ vocatur Eſſenorum.

b Homil. 8. in Epiſt. ad Epheſ.
c In Theatro terra ſancta.

De vinculis.

Porrò omnium more gentium vinculis continebantur, qui in carcere includebantur. Manus, pedesq; Arianus [d] ſcribit ſolitos deuinciri.

d Lib. 1. c. 1. 18. 19. 29.

Petrum pedes conſtrictos habuiſſe non apparet, cùm dicantur catenæ de manibus eius cecidiſſe, & iuſſus calceare caligas, pedum indumentum. Haud dubium quin ex ferro catenæ vt plurimum forent, quamuis Æthiopas Herodotus [e] referat aureos reis compedes inieciſſe.

e Lib. 3.

Quia verò apud Senecam [f] reperio quod eadem catena, & militem cuſtodem, & reum, (quem vocat cuſtodiam) copulabat, & perſpicuum extat huius rei exemplum in Ioſephi hiſtoriâ [g] adducor facilè vt credam, hinc & hinc cum medio Petro vtrumq; militem colligatum fuiſſe: auctore fortaſſe ipſomet Agrippâ; qui id in ſeipſo aliquando expertus erat, eſtq; is, de quo Ioſephum ſcribere modo dicebam. Chryſoſtomus [h] id planè aſſerit. Solùm excipi poſſet, quomodo milites, cùm de manibus Petri catenæ ceciderunt, non aduerterint? Sed qui nec aduerterunt alia, nil mirum ſi hoc illos etiam latuerit. Arias Montanus notat, quòd milites ſinguli tenebant ſingulas catenas, quibus erat vinctus Petrus; vt duriori cuſtodiâ vteretur, & intra carcerem, & extra portam

f Epiſt. 5.
g 18. Antiq. c. 8.
h Homil. 9. in Matth.

Digitized by Google

tam nemo, aut eum adire, aut accedere poſſet, cùm intùs, & foris omnia eſſent munita.

Ea quam honorifica.

Quæ tam multis locis Chryſoſtomus adeo magnificè deprædicat de Pauli catenis, & vinculis, hæc in catenas Petri æquo poſſunt iure transferri, quas indicto etiam feſto cenſeat Eccleſia venerandas, vt cuius in ligandis, ac ſoluendis alienis ſpiritualibus vinculis, quibus nulli, niſi reuera nocentes tenentur, immo quæ nocentes non tam arcent, quàm faciunt, poteſtas eſt in Eccleſiâ princeps, & præcipua, eiuſdem quoque vincula pro Chriſto geſtata à cunctis fidelibus in honore habeantur ſolemniore ritu. Nam & Pauli vinculis vim tributam miraculorum teſtis Gregorius.[i]

i Lib. 3. Epiſt. 30. lib. 11. Epiſt 49.

Etiam feſto die honorata.

Feſtum vinculorum Petri, ſiue Dedicationis S. Petri ad vincula celebratur Kalendis Auguſti. Ita Martyrologia quidem omnia, & plures Latini Patres, cùm Græci de his catenis ſolemnitatem inſtituant ad 17. Kalendas Februarij, non quòd tùm vinctus fuerit Petrus (*erant enim dies azymorum*[k]) ſed vt ait Auctor quidam Anonymus,[l] vt ſanctiore ritu pro Auguſto, Chriſtiani ſummus hierarcha Imperij, propter feliciorem victoriam atque Ieroſolymitanarum Romanarumque catenarum eiuſdem mirificum nexum, & præclara ipſarum ope edita miracula, coleretur. Quâ de re conſulendus Baronius,[m] qui negat celebrari olim ſolitas Auguſti Calendas in honorem Imperatoris Auguſti: ſed eo die, vt refert Dio,[n] equeſtria certamina exhibita, quòd illo ipſo Martis ædes conſecrata eſt.

k Act. 12. v. 3.

l In Biblioth. hom. tom. 4. in feſto S. Petri ad Vincula hom. 2.

m In notis ad Kal. Aug. & Tom. 5. Annal.

n Lib. 60.

Quomodo Romam delata.

Ex duabus Ieroſolymitanis illis catenis, quas Eudocia Theodoſij iunioris vxor, (non Eudoxia Arcadij, vt quidam ſcripsêre) cùm iterum obiret religionis causâ, pia Ieroſolymorum loca, ab Epiſcopo Iuuenale dono acceperat, anno Chriſti 436. vel 437. alteram Conſtantinopoli collocauit in templo

templo

Digitized by Google

templo S. Petri,[o] alteram miſit in vrbem ad filiam Eudoxiam Auguſtam Imperatoris Valentiniani vxorem. Hæc munus id ſacrum in Baſilicâ repoſuit montis Eſquilini anno 438. Vbi prætereà mirabiliter catena, quæ Petrum Romæ in Mamertino ſtrinxerat, hactenus piè cuſtodita[p] (quam Balbina virgo Romana Alexandro Papa hortante conquiſitam diligenter, inuenerat) coaluit aptiſſimè cum Ieroſolymitana, perinde ac ſi gemina, & omninò par foret. Mendax eſt ergò Pſeudo Hieronymus,[q] (is inquam qui falsò ſibi Hieronymi ſumpſit nomen) dum ait ex Conſtantini decreto inſtitutam hanc ſolennitatem. Decipitur etiam Hiſtoria[r] Scholaſtica, cùm affirmat, vtramq; catenam eſſe Romæ, quod tamen etiam ceciniſſe hoc Arator videtur verſu:

Manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & ſideris obtinet inſtar
Corpore quod Petrus ſacrauit, & Angelus ore,
His ſolidata fides, his eſt tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus, harum circumdata nexu
Libera ſemper eris; quid enim non vincula præſtant,
Quæ tetigit qui cuncta poteſt abſoluere?

o Vt eſt in orat. de Vinc. Petri ap Sur. 10. 4. qui eſt aut Procli, aut Germani, ſed non Chryſoſt. quia nondum eius tempore fuerant inuenta.
p Vt eſt in Actis Alexandri Papæ.
q Epiſt. ad Euſtach de Vinc. Petri Tom. 9. operum.
r In hiſt. Act. 4. 67.

Limaturæ catenarum pro magno munere miſſæ Principibus.

Tanti pretij æſtimatæ ſunt hæ catenæ multis coruſcantes miraculis, eo præſertim, quòd Breuiarium Romanum recenſet, atq; Sigebertus in Chronico anni 969. vt pro ingenti munere limaturæ mitterentur aurea claui incluſæ, primarijs viris de Dei Eccleſia benè meritis, à Romano Pontifice, quemadmodum conſtat non ex pluribus dumtaxat Epiſtolis Gregorij,[s] verùmetiàm ex ijs, quas ante illum conſcripſerunt inuicem Iuſtinianus V. C. poſtea Imperator, & Hormiſdas Papa. Recitantur Epiſtolæ iſtæ à Baronio,[t] qui de toto quoque hoc argumento diligenter tractat.[u]

s Lib. 5. Epiſt. 6 lib 6. Epiſt. 23 lib. 1. ep. 25. 29. 30. l. 2. epiſt 47. l. 11. epiſt. 49.
t Tom 7. Annal.
u Tom 5. Annal. & in Notis Martyrol 1. Aug.

Digitized by Google

Is, quem dixi, auctor orationis citatæ à Surio, narrat, quòd catenas in carcere derelictas ipſi Herodis miniſtri, quibus diuinæ cognitionis lumen effulſit, clàm ſuſtulerunt, & apud ſeipſos veluti theſaurum quemdam eas conſeruarunt, donec tandem, illo nempe tempore, quod ſuperiùs notatū eſt, Conſtantinopolim vna translata eſt. *Aliquando*, inquit Tertullianus, dum ait de catenis aureis, *reuera inuentum eſt, quomodo & aurum non ametur. Sed reuera inuentum etiam eſt, quâ ratione ferrum ametur, & auro præferatur, ac omni lapide pretioſo id, inquam ferrum, quo venerandum Petri corpus preſſum & maceratum eſt.* Imperatrix Helena Chriſti Crucem, Eudocia Petri vincula inuenit.

CAP. XXXIX.

Petrus Ieroſolymis Romam proficiſcitur; & quæ in eodem itinere memorabilia peregerit.

Epiſcopi à S. Petro ordinati.

à Sim. Metaphra. Baron. t. Annali

PEtrus liberatus à vinculis, Ieroſolymorum ciuitate relictâ, Cæſaream venit, & ex ijs qui ſequebantur eum, presbyteris, ibi Epiſcopum conſtituit. Poſt hæc profectus Sydonem, cùm multos infirmos curâſſet, & Epiſcopum ibi conſtituiſſet, venit Berythum: in quâ etiam cùm vnum eorum qui ſequebantur, ordinâſſet Epiſcopum, venit Biblym: deinde Tripolim, vbi apud Marſonem virum quemdam prudentem diuertit: quem cùm Fidelibus, qui erant Tripoli, Phæniciæ Epiſcopum conſtituiſſet, venit Orthoſiam, deinde Antardum: Hinc in inſulam quæ dicitur Aradus: Inde Balanæas: Et illinc Panta: deinde Laodicæam; in quâ cùm multos qui morbis laborabant, & vexabantur à dæmonibus curâſſet, Eccleſiamq; congregaſſet, & Epiſcopum conſtituiſſet, venit Antiochiam Syriæ ciuitatem. Quo in loco Simon

mon quidam magus eos, qui ad eum quærendum ab Imperatore miſſi fuerant, declinans, conſtituit fugere in ciuitates Iudææ. Petrus autem cùm ſimulac eſſet ingreſſus, multasq; Antiochiæ feciſſet curationes, & vnum Deum in tribus perſonis ijs, qui erant congregati, feliciter annunciaſſet, & Epiſcopos ordinaſſet, Marcianum quidem Syracuſis in Sicilia, Pancratium autem Tauromenij; venit in Cappadociam, Tyanamq; eiuſdem prouinciæ ciuitatem inuiſit.

Poſthæc abijt Ancyram Galatiæ, illic mortuum ſuſcitauit, baptizauit & credentes, ac Eccleſiam ordinato Epiſcopo inſtituit. Hinc Synopem & Amaſcam Ponti ciuitates, ac ſubinde Gangram Paphlagonum, poſteà verò Claudiopolim, ac inde Nicomediam, & Nicæam Bithyniæ ciuitates petijt. Poſthæc redijt Antiochiam, inde autem Barnaba Antiochiæ relicto, non Ieroſolymam, vt tradit Metaphraſtes, ſed Romam verſus iter direxit, vnà cum Marco Euangeliſta, Apollinare, qui ab eodem poſtmodùm Rauennati eſt præfectus Eccleſiæ, Martiale, Ruffo, Pancratio, Martiano, & alijs quibusdam, quos recenſet Metaphraſtes dicto loco.

Petrus quos comites ſecũ Romam perduxerit.

De quibusdam locis, ad quæ Petrus Romam venturus diuertit, nobilia in ijs remanſerunt antiquitatis veſtigia, ſed traditione potiùs, quam ſcriptura firmata. Nam, vt omittamus de ſingulis dicere, quæ non ſatis explorata habentur, eſt Neapoli in Campania percelebris memoria, vbi idem princeps Apoſtolorum, cùm Neapolim nauigio delatus eſſet, vnà cum ſuis Miſſam celebrauit. Tradunt inſuper ipſum Neapoli, ſoluentem uiuentorum delatum eſſe Liuurnum, indeq; Piſas proximè poſitas conſcendiſſe, ibiq; ex more incruentum ſacrificium obtuliſſe: quem locum, tantæ rei memoria celebrem, à poſteris ſummo honore habitum eſſe conſtat, inde verò Romam veniſſe; licet in aliquibus manuſcri-

Digitized by Google

ptis, quibus res geſtæ Marci Epiſcopi Atinæ narrantur, Petrum pedeſtri itinere Neapoli Romam veniſſe, & Atinam ad Marcum gentilem ſuum Galilæum hominem diuertiſſe, ſcriptum habeatur. Sed de his rebus tam antiquis & incertis quid potiſſimùm affirmare debeamus, non ſatis conſtat.

Quo anno id factum.

Petrum verò anno ſecundo Claudij Imperatoris veniſſe Romam, communis omnium ſententia eſt: id enim Euſebius in Chronico inprimis teſtatur, idipſum Hieronymus, [b] ac deniq; cæteri omnes, qui de ea re hiſtoriam conſcripſerũt.

Eundem Petri Romam aduentum omnes ferè rerum Eccleſiaſticarum veteres ſcriptores, & confirmarunt, & perpetuis monumentis decorarunt, vt Irenæus, [c] Tertullianus, [d] Hippolytus, [e] Cyprianus, [f] Arnobius, [g] Lactantius, [h] Optatus, [i] Hieronymus, [k] Ambroſius, [l] Auguſtinus, [m] Seuerus, [n] Prudentius, [o] Philaſtrius, [p] Oroſius, [q] Proſper, [r] Maximus Taurinenſis, [s] Petrus Chryſologus, [t] Arator, [u] ac cæteri Latinorum, qui de rebus eccleſiaſticis commentarios edidêre: Græcorum verò, Papias, [x] Caius, [y] Dionyſius Corinthiorum, [z] Petrus Alexandrinus, [a] Euſebius, [b] Chryſoſtomus, [c] Cyrillus Alexandrinus, [d] Theodoretus, [e] Sozomenus, [f] & cæteri iuniores, ac deniq;, ne in re toto cælo perſpicua laboremus, id ipſum ſacroſanctæ Oecumenicæ Synodi, idem etiam Romani Pontifices ſuis epiſtolis, Imperatores ſuis edictis, ac (vt vnico verbo rem abſoluam) tanta de Petri Romam aduentu memoria, omni ſcriptionum genere meruit conſecrari, adeò vt nec cuiuſvis perfrictæ frontis hæreticus, vel ſchiſmaticus, eorum, qui ante noſtrum ſæculum vixerint, auſus fuerit de eo vel leuiter quidem dubitationem mouere. Non poſſum mihi temperare, quin non elegantiſſima S. Leonis [g] papæ hac de re verba ſubiungam.

b de Script. Eccleſ. c lib. 3 c. 1 d de præſcript. e apud Prudẽt. in Periſteph. f de unit Eccleſ & alijs locis. g aduerſ Gentes & in Pſal. 106. h lib. 4. c. 21. i Contra Parmen. lib. 2 k de Script. Eccleſ. l ſerm. in natiuit Apoſtol. & alibi. m ſerm 7. in natiuit Apoſt & alijs locis. n Hiſt. lib. 2. o in Periſteph. p de hereſ c 30 q lib. 7 c. 6 r de prad lib 4. c. 13. s ſerm. 1. & 5. in Natal Apo. t ſerm. in Natal. Apoſt.

u in Act. Apo. x ad Euſeb. lib 2 c. 13. y apud Euſeb. l. 2 c. 24. z apud Euſ l. 2. c 24. a Can. 3. b lib 2. c. 13 14 c Homil. de Petro & Paulo d Epiſt ad Caleſt. e lib. 1. har fab in Simone. f lib 4 c. 14. g Serm. 1. in nat. Apoſt.

Cùm duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent: beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij: ut lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi, corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac Vrbe non eſſent, aut quæ uſquam gentes ignorarent, quæ Roma didiciſſet? Hic conculcandæ philoſophiæ opiniones: hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates: hic confutandi dæmonum cultus; hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, ubi diligentiſſimâ ſuperſtitione habebatur collectum quidquid umquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergò Vrbem tu beatiſſime Apoſtole Petre venire non metuis, & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo aliarum adhuc eccleſiarum ordinationibus occupato, ſiluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum, conſtantior, quàm cùm ſupra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras ſacerdotis ancillam. Numquid autem iudicio Pilati aut ſæuitiâ Iudæorum minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris, nec æſtimabas terrori cedendum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas alendos. Hunc ergò intrepidæ charitatis affectum iam tunc profectò concepimus, quando profeſſio tui amoris in Dominum, ternæ interrogationis eſt ſolidata myſterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæſitum eſt, quàm ut paſcendis quem diligeres ouibus cibum, quo ipſe eras opimatus impenderes.

Augebant quoque fiduciam tuam tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum, atque experimenta virtutum. Iam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras;

iam

iam Antiochenam eccleſiam, ubi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas. Hæc Leo verè Magnus.

h De ſcript. Eccleſ. Hieronymus h ea de cauſa Petrum Romam veniſſe teſtatur, vt Simonem Magum magijs ſuis populo illudentem expugnaret. Metaphraſtes i his conſentiens hæc ſcribit: *Viſus eſt ei Dominus in viſione, dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet ut tuis illuſtretur facibus, & ego ero tecum.* Euſebius k de Simonis artibus, Apoſtoli Petri virtute ſæpè repreſſis, ac demùm Romæ, quò eum eſt perſequutus, extinctis, hæc ait: *Quapropter neque impia Simonis contra Chriſtum coniuratio, neque alterius cuiusquam eorum, qui tum in lucem prodierant Apoſtolorum temporibus, ſe ſuſtentare poterat; nam illuſtre veritatis lumen, & diuinus ille ſermo, qui modo Dei aſpirante numine, in humanum genus ſplendorem ſuum effuderat, inq; terris quaſi pubeſcens viguerat, & cum proprijs ac ſuis Apoſtolis verſatus erat omnes id genus conatus ſtrenuè euicit, profligauitq;. Etenim, ut exemplo rem illuſtremus, præſtigiator ille, quem anteà poſuimus, velut à diuino & admirabili fulgore oculis mentis penitus perſtrictis, exemplo (cùm iam anteà in illis ſceleribus, quæ nefariè, & perditè conſciuerat, à Petro Apoſtolo in Iudæâ manifeſtus deprehenſus fuiſſet) longiſſimum iter terrâ mariq; inſtituens, ab Oriente ad Occidentem uſque quaſi profugus vagatus eſt: iſtumq; viuendi modum ſolū ſibi ex ſententiâ fore arbitratus, ſic tandem ad Vrbem Romam profectus (cùm iam ibi diabolica vis & potentia ad hominum perniciem excubans, magno ſubſidio illi veniret) breui ſuum inſtitutum eò perduxit, ut ab illis ſtatua in eius venerationem erecta, honoraretur ut Deus. Cæterùm iſta non ad longinquum temporis ſpatium ex ſententiâ*

i die 29. Iunij.

Petrus cur Romam profectus.

k lib. 2. c. 12. 13. & 14.

ſentiâ illi proceſſerunt: Nam è veſtigio, ſub ipſo Claudij imperio, benigna & propitia Dei totius huius uniuerſitatis rectoris erga humanum genus prouidentia fortem ac præpotentem & reliquorum omnium Apoſtolorum, propter virtutis amplitudinem, facilè principem, Petrum Romam verſus ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quaſi manu deduxit. Qui quidem ut generoſus & ſtrenuus Dei dux diuinis armis obtectus munitusq́, eximiam & pretioſam tamquam mercaturam veri luminis mente ſolâ comprehenſi, ab Oriente ad Occaſum usq́ deportauit: ipſamq́, regni cælorũ prædicationem, cæleſtem ſcilicet lucem, & ſalutarem animarum doctrinam, palam diuulgauit. Sic ergò cùm diuinus ſermo ad Romanos perueniſſet, veſana Simonis potentia extincta eſt, & homo ipſe actu tum unà penitus profligatus.

Cùm ergò Romam perueniſſet Petrus, antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad contribules ſuos Iudæos diuertit, qui illis temporibus Transtiberinam regionem incolebant. Petri diuerſorium Romæ.

Paulò pòſt, vbi Euangelium prædicans, Gentilibus Romanis innotuit, non ampliùs permiſſus eſt apud Iudæos agere, ſed à Pudente Senatore, qui Chriſto credidit, in domum ſuam exceptus eſt, quæ erat in Viminali, vbi poſtea titulus eſt erectus, Paſtoris nomine nuncupatus.

CAP. XL.

Romana Cathedra à Petro erigitur, & ab eodem Alexandrina Eccleſia per Marcum fundatur.

ANno itaq; Chriſti quadrageſimo quinto, decimo quinto Kal. Februarij à Petro Apoſtolorum principe Romana Eccleſia inſtituitur, ac ſedes in eâ pontificia erigitur. Romana ſedes à Petro fundata: item feſtum Cathedræ.

Digitized by Google

Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuerſariâ celebritate conſueuit antiquitùs celebrari, qui quidem priſtinus vſus non in Vrbe tantùm, ſed & vniuerſo Chriſtiano orbe in annos ſingulos repetitus, licet interdum alicubi prætermiſſus, ſed reſtitutus, [a] in hodiernum vſq; dũ ſanctiſſimè perſeuerat. In antiquis [b] enim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritualibus libris hæ preces eâ die recitari ſolitæ erant.

a Pauli Papæ IIII diplom.
b Breuiar. Veter. Rom.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento, Apoſtolo tuo Petro principatũ Romæ Vrbis tribuiſti, unde ſe Euangelica veritas per tota mundi regna diffunderet: præſta quæſumus, ut quod in orbem terrarũ eius prædicatione manauit, uniuerſitas Chriſtiana deuotione ſequatur.

Inerat & priuata [c] ſacra præfatio, ad eius diei ſolemnitatem accommodata, in ſacris Miſſis ſolita recitari. Antiquiora quoq; Martyrologia eiuſdem rei pleniſſimam fidem aſtruunt, ac denique ſanctorum patrum [d] conciones, quas in eiuſdem diei celebritate in Eccleſiâ perorarunt, quaſi tantæ rei egregia monumenta, celeberrimum fuiſſe eiuſce diei ſacræ cultum apud omnes Chriſtianos, indicant.

c In ſacram. S. Gregorij.
d Aug. ſer. 15. 16. de ſanct. & aliorum.

Lignea Petri cathedra hucuſque aſſeruata.

Cæterùm ipſa prima Pontificia ſedes Petri, cathedra, inquam, lignea, dignum planè tantæ rei eximiumq; monumentum, quam plurimis ſemper miraculis illuſtrata, à maioribus aſſeruata, in eiuſdem S. Petri baſilicâ Vaticanâ recondita, haſtenus cuſtoditur, [e] & certis diebus populo viſenda exponitur.

e Baron. in Annal. t. 1.

Antiochiæ Epiſcopum ſufficit.

In hunc modum ſede Romanâ ſtabilitâ, ceſſit Petrus Eccleſiæ Antiochenæ, & Euodium martyrem, in locum ſuum Epiſcopum ſubrogauit. [f]

f S. Ignat. epiſt. 12.

Digitized by Google

Poſt hæc memor Eccleſiarum, quas in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Aſiâ ſcilicet minori, & Bithyniâ erexerat, ad illas Romæ, (quam ciuitatem nomine Babylonis figuraliter intellexerat[g]) primam ſuam ſcripſit epiſtolam: confirmans eas in fide, admonensq; vt præteritâ vita relicta nouam aggrediantur, & tamquam aduenæ ac peregrinæ, à carnalibus deſiderijs abſtineant, paratæ de omnibus rationem reddere in die iudicij. Primam ſcribit epiſtolam. [g] Hier. de Script. Eccleſ. in Marco. Oroſ. lib. 7. cap. 2. Euſeb. lib. 2. c. 15.

Hinc eleganter Euſebius:[h] *In ipſis Claudij temporibus, clementia Diuinæ prouidentiæ probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum, fidei magnificentiâ & virtutis merito primorum principem Petrum, ad urbem Romam, velut aduerſum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quemdam & magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia gerere, & virtutum caſtra ductare. Iſte aduenìens ex orientis partibus ut cæleſtis quidam negotiator, mercimoniam diuini luminis, ſi quis ſit comparare paratus, aduexit, & ſalutaris prædicationis verbo primus in urbe Româ, Euangelij ſui clauibus iannuam regni cæleſtis aperuit.* Et capite ſequenti, vbi de Marci Euangelio ex Papiæ & Clementis auctoritate ſermonem inſtituit, hæc addit: *Conſtat Petrum huius Marci mentionem facere in priori epiſtolâ, quam quidem epiſtolam ibi perſcriptam oſtendit, dum ciuitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat hoc modo: Salutat vos Eccleſia noſtra electionis conſors quæ eſt in Babylone, & Marcus filius meus.* Hactenùs Euſebius. [h] Lib. 2. c. 14. Romam cur Babylonem vocet Petrus.

Rationem verò huius metaphoræ his verbis aſſignat Auguſtinus:[i] *Altiſſima,* inquit, *tum condita eſt ciuitas Roma, velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* [i] de ciuit. Dei, lib. 18. cap. 22.

Digitized by Google

Petrus euangelium Marci approbat, eúq; ne Alexandriam ablegat.

Poſt hæc vbi Petrus Euangelium Marci, Romæ Latinis literis conſcriptum auctoritate ſuâ approbauit, eundem Marcum in Ægyptiorum regionem ablegauit, ad Euangelium Christi prædicandum. k Opportuna enim illa videbatur oblata occaſio aduentus Philonis Iudæi Alexandrini in vrbem, qui ſub Caio primùm, pro Iudæis Alexandrinis legatione functurus, vnâ cum ſocijs Romam ſe contulit; ac iterùm ſub Claudio Romam venit, quando & gentilem ſuum Petrum Euangelium prædicantem Romæ cognouit, & familiariſſimè cum ipſo verſatus eſt, vt Hieronymus l his verbis declarat: *Aiunt hunc ſub Caio Caligulâ Romæ periclitatum, quo legatus gentis ſuæ miſſus fuerat: cum ſecundâ vice veniſſet ad Claudium, in eadem Vrbe locutum eſſe cum Petro Apoſtolo, eiuſdemq; habuiſſe amicitias, & ob hanc cauſam etiam Marci diſcipuli Petri apud Alexandriam ſectatores ornaſſe laudibus ſuis.* Hæc Hieronymus de Philonis cum Petro Romæ conſuetudine ac amicitiæ vſu; quâ quidem ex re coniecturâ ducitur Card. Baronius, m redeuntem Philonem Alexandriam, Marcum ſibi à Petro commendatum ſecum perduxiſſe.

k Epiph hæreſ. 51. Euſeb. l. 2. c. 14.

l de ſcript. Eccleſ. in Philone.

m Annal. t. 1.

Alexandrina eccleſia cur ſecunda à Romanâ.

Porrò Alexandrina Eccleſia, à S. Marco erecta eâ potiſſimùm de cauſâ primum locum poſt Romanam obtinuit, quòd Marcus eamdem Petri nomine erexit; quod Gelaſius n teſtatur his verbis: *Secunda autem ſedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo & Euangeliſta conſecrata eſt: ipſe enim à Petro Apoſtolo in Aegyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & martyrium conſummauit.*

n In decr. de lib. Apocryf.

CAP. XLI.

Complures Eccleſiæ Occidentis à Petro fundatæ, ijsdemq; Epiſcopi præfecti.

Stabili-

STabilitâ iam ſede Romanâ, Petrus Apoſtolus, cui vniuerſi gregis cura à Domino commiſſa erat, ad ceteras Occidentalis orbis partes admouens oculos; vt apud omnes prædicatio Euangelica illuceſceret, diſcipulos, quos habebat, in diuerſas prouincias amandauit. Velut enim à Sole radij, & è fonte riui, ſic à ſede Petri longè lateq; fides Chriſtiana diffuſa, vbique eſt feliciter propagata: quod Innocentius a Papa ad Decentium ſcribens, his verbis ſignificat: *Quis enim neſciat, aut non aduertat id, quod à principe Apoſtolorum Petro Romana Eccleſia traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari; nec ſuper induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemolum: præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, inſulasq; interiacentes, nullum hominum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes. Aut legant, ſi in his prouincijs alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe? quòd ſi non legunt, quia nuſquam inuenitur, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à quâ eos principium accepiſſe, non eſt dubium; ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Hæc Innocentius.

Eccleſiæ Occidentis à S. Petro fundatæ.

a *Epiſt. 1.*

Quinam fuerint, qui diuerſis temporibus, ad diuerſas inſtituendas eccleſias à Petro ſunt miſſi diſcipuli & ordinati Epiſcopi; licet ſcriptorum inopiâ penè obſcurum remanſerit, aliquot tamen, quos recenſitos inuenimus, hîc enumerare voluimus.

Habuit à Petro inſtitutos Epiſcopos Sicilia Pancratium, Martianum, Berillum, & Philippum: Capua Priſcum: Neapolis Aſprenen aliter Aſpernatem: Tarracina Epaphroditum: Equicolæ populi Marcum, alium tamen ab Euangeliſtâ. Ptolomæum Nepe: Romulum Feſulæ: Paulinum Lucæ:

Quinam Epiſcopi inſtituti.

Rauenna Apollinarem: Verona Eupropium: Patauium Proſdocimum: Ticinum Syrum: Aquileia poſt Marcum, Hermagoram: in Gallijs Lemouicenſes, Tholoſani & Burdegalenſes Martialem: Tungrenſes Maternum, necnon Valerium: Rhemenſes Sixtum: Arelatenſes Trophimum: Senonenſes Sabinianum: Cænomanenſes Iulianum: Vienna & Moguntia Creſcentem, Catalaunum, Memmium: Bituricenſes Vrſinum: Aruernenſes Auſtremonium: Sanctonenſes Eutropium: Germania Eucharium, Egiſtum, & Marcianum: Hiſpania Torquatum, Cteſiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Euphratium & alios. In Britanniam etiam Petri opera Euangelium penetraſſe tradunt, haud mirum: eâ enim inſulâ anno ſuperiore à Claudio ſubiugata, ad prædicationem Euangelij patuit aditus. Multa his ſcimus addenda fuiſſe, ſed temperauimus, conſultius exiſtimantes ex multis pauca referre, quàm multa incerta, ac nobis non ſatis explorata coaceruare.

Quamdiu Petrus Romæ permanſerit. Quantum verò temporis Petrus Romæ permanſerit, receptior ea videtur eſſe ſententia, vt vſque ad nonum Claudij annum, quo eius edicto, Iudæi Roma ſunt pulſi, ibi prædicans Euangelium, egerit.

At Petrus pòſt edicto Claudij Roma pulſus, ad externas orbis oras prædicationem Euangelij conuertit, cùm quippe vniuerſi gregis curam à Domino ſibi demandatam ſuſcepiſſet, & quod ipſe coram Apoſtolis de ſe teſtatur, dicens: [b] *Elegit Deus per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere*; non erat eius officij, in vno loco conſiſtere, ſed quantum homini licuiſſet, vniuerſum peragrare orbem; & nondum credentes ad fidem perducere, credentes vero in fide penitus ſtabilire.

[b] Act. 15. v. 7.

Petri igitur muneris erat, vt qui iam complures Orien-

tis prouincias prædicando Euangelium peragraſſet, iam (quod reliquum eſſe videbatur) luſtraret orbem occidentalem, & vſque ad Britannos (quod tradunt Metaphraſtes[c] & alij) Chriſti fidem annuncians penetraret. Certè quidem Gregorius [d] ſcribens ad Epiſcopos Numidiæ, eos ab Apoſtolo Petro accepiſſe ordinationum initia teſtatur. Et Cyprianus [e] Romanam Eccleſiam Matricem appellat, quòd non tantùm Carthaginenſis Eccleſia ab ea fidem accepiſſet, ſed quæ ſub ipſa continentur Mauritania atque Numidia. Et quis mirabitur hæc, cum Paulus teſtetur, [f] impletum eſſe quod prædictum in Pſalmo fuerat: [g] *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & , in fines orbis terræ verba eorum.*

Petrus vſque ad Britannos penetrauit.

c die 29. Iunij.

d Lib. 2. epiſt. 75.

e Epiſt. 45.

f Rom. 10. v. 18.

g Pſal. 18. v. 5.

CAP. XLII.

S. Petri cura erga Germaniæ, Galliæq; populos & ibidem per diſcipulos geſta.

ITaque Claudio iam alterum annum imperante, Petrus Apoſtolorum Princeps (quem Eccleſia Antiochiæ conſtituta Vrbem Romam deinde Euangelij cauſſa intraſſe, & IESV crucifixi nomen cultumq; ſalutari prædicatione annunciaſſe, præter Irenæum, [a] Tertullianum, [b] Euſebium, teſtes alij [c] omnium ætatum gentiumq; locupletiſſimi tradiderunt quod ſuperius capite 39. copioſè probauimus) cum vniuerſi terrarum orbis ad Chriſti notitiam traducendi deſiderio flagraret, tum florentiſſimos Germaniæ Galliæque populos ad vigiliarum & prouidentiæ ſuæ partem ratus eſt pertinere; quo videlicet nationes ſpectata virorum, armorumq; potentia celebres, & Romanis inſtitutis ad ſummam belli pacisq; diſciplinã indies effloreſcentem, è crudeli Satanæ imperio ereptas Chriſtianis demũ Sacris adgregaret.

a Lib. 3. adu. hæreſ.

b Lib. 4. contra Marcionem.

c Bellar. lib. 2. contron. 3. de Rom. Pont. Baron An. 44. Marian Scot. in Chron. Franc. Guil. in Ep. Arg. & 6. Col. Moſ. lib. 3. Panegyr. cap. 2.

Dimiſſis

Dimiſſis itaque in varias terrarum oras quoquoverſum Sacroſanctis Euangelij Præconibus, tres præſtanti virtute atq; innocentia viros, Eucharium, Valerium, & Maternum, quos vitæ ſanctimonia doctrinaq; probatiſſimos cognouerat, in Germaniam, & Galliam Belgicam iubet proficiſci, eoſdemq; pari amplificandæ Religionis ardore & Apoſtolico ſpiritu plenos, impoſitione manuum, Eucharium Epiſcopum, (quem in contubernio Chriſti iam olim cum cæteris Apoſtolis verſatum, & ſeptuaginta duûm Chriſti diſcipulorum Ordini inſertum, tum in ſuo Marianus Scotus, tum in alijs Chronicis vetera monumenta prodiderunt) Valerium Diaconum, Subdiaconum verò Maternum inſtituit, & conſecrauit. His ergò ad deſtinatam prouinciam iter facientibus, cùm non ſine verbi Diuini præconio, & multorum parta ſalute ſuperatis Alpibus, ad *Tribocorum*, hoc eſt, *Alſatarum* fines perueniſſent; Maternus febrium æſtu, proſtratus morbi magnitudine, apud *Elegiæ caſtellum*, vt antiqui Scriptores appellant, ſiue *Ellum, Hellumúe*, vt recentiores, vita functus occubuit. Peruetus autem Tribocorum in Elli ſeu Illę fluminis ripa, locus & Romana antiquitate, & religione Chriſtiana viſendus monſtratur; quem vereor, vt minus aptè, ab elegis dictum, ob lamenta & fletus in S. Materni morte iſthic profuſos, nonnemo [d] poſteris probare conetur. Hoc porrò tam acerbo caſu, Eucharius & Valerius Romanum iter relegentes, amiſſum laboris ſocium Principi Apoſtolorum mæſti dolenteſq; renunciant. Simulq; admonent, cum maiore negotio præſidioq; nunc quidem opus ſit; aliud conſilium, cæleſtemq; de integro ſeſe opem à Magiſtro exſpectare.

Petrus diſcipulos aliquot in Germaniã ablegat.

Eucharius è LXXII. Chriſti diſcipulis.

Maternus ex morbo obiit.

[d] Iac. VVimphel. in prologo Epiſc. Argent.

Petrvs qua in Deum erat fiducia, paucis mæſtos conſolatus, eorum animos egregiè ſuſtentat, ſimulq; non citra ſingula-

ſingularem Dei Opt. Max. prouidentiam Maternum rebus humanis ereptum oſtendit; quin ad ipſos iſtud etiam negocij pertinere, quo videlicet inter rudes gentes miraculo quopiam inſigni magis magiſq; Chriſti Liberatoris gloria eluceſcat, durarent igitur, tamque ſalutaribus cœptis fortiter inſiſterent, mortuum in vitam reuocatum iri, vt qui non extinctus, ſed velut ſomno quodam iuſtorum ad tempus conſopitus teneatur. Adhæc baculum, quo tamquam Summi Paſtoris inſigni vtebatur, tradit, monetq; fuſis ad Deum precibus in nomine Chriſti ſurgere præcipiant, proculdubio quem reuiuiſcere cupiant, Chriſti virtute continuò reſurrecturum. Quadraginta omninò dies conſentit vetus hiſtoria præterfluxiſſe, cum defuncti corpus humatum fuerat, vbi tabitum exiſtere tunc, ac pæne corruptum nulla dubitatio teneret, verum etiam illis fide in Deum firmâ conſtanter nitentibus, vbi repetito itineris labore ad locum, quem diximus peruenerunt, quod futurum prædixerat Apoſtolus, illud felici euentu præclarè reſpondit. nam vi quadam genitali diuinitùs per baculum affuſâ, Maternus ad Imperium Magiſtri velut in vitam renaſcens, multis cernentibus conſurrexit; qui miraculi nouitate attoniti, & luſtrati ſacro Baptiſmatis fonte, ad Chriſtum conuerſi ſunt. Eſtq; incredibile, quantum ea res naſcenti tùm primùm apud Alſatas, & circumiacentes populos Eccleſiæ contulerit, nam eius fama per finitimos longè lateq; increbreſcente, magni ad Sanctos omnis ſexus ætatiſq; hominum vndiq; concurſus extiterunt; qui haud grauatè ſe in Chriſti ſacra reciperent. Baſilicam quoq; narrat Harigerus Lobienſis Abbas,[e] qui ſub Ottone III. ætatem degit, Reſurrectionis nomine, loco illo, quo Maternus ad vitam reuocatus fuerat, à Chriſtianis exſtructam atq; dedicatam; cuius ad præſentem memoriam in

Maternus baculo S. Petri in vitam reuocatur.

e Cap. 5. & ſeqq.

Dd Alſatijs

Eccleſia Reſurrectionis in Alſatiâ.

Alſatijs certa veſtigia, conuenarum Religione, & votiua peregrinatione quondam contrita ſuperſunt.

S. Maternus Alſatarum Apoſtolus.

Ergò non immeritò Alſatæ Tribocorum poſteri Chriſtianæ Religionis incunabula *Beato Materno* adſcribunt, quẽ magna gratia gloriaq; tanti beneficij, Apoſtolum ſuum & Principem fidei ſalutisq; ſuæ ſolent venerari. Et verò qui eiuſdem Eccleſiæ res geſtas proſequuntur, maiorum literis ac voce tradunt S. Maternum non modo inani Deorum ſuperſtitione illam gentem liberaſſe, ſed magnis etiam & illuſtribus claruiſſe miraculis, et exiſſe complures multa veneratione, Apoſtoli Petri titulo & nomine inſignes Eccleſias, ex quibus ad hanc ætatem veterrimæ memoriæ perduraſſe creditum eſt Argentorati B. Petri, quem vocant, *Senioris*, ad alterius multis annis poſt ab Guilielmo Antiſtite conditi diſcrimen; ab eodem ſua quoq; primordia Sacrum Aſcetarum D. Benedicti *Ebersheim Monaſterium* repetit, eſtq; in conſpectu Molshemenſis Oppidi vetuſtiſſimi operis, quæ Latinè Domus Petri, vulgò *Dompeter* appellata eſt; *f* quæq; D D. Petrum ac Maternum tutelares agnoſcit: hodieq; frequenti concurſu, ac ſpe non irrita remediorum, quæ febricitantibus quæri & obtineri ſolent, rara pietate coli ac frequentari videmus. Sarcophagus ibi Romani operis expoſitus viſitur ad ſiniſtrum ingredientis latus, in quo conditas olim S. Petronillæ reliquias populo perſuaſum eſt, cuius etiam Sacra Lipſana cum Zona loculo eleuatiore ad dextram eiuſdem templi in choro aſſeruata narrant pagani; quæ efferatus pronuper hæreticorum furor Sacra omnia nil penſi habens, ſacrilegè diſſipauit. Cæterum ex contactu reliquiarum vim ſaxo credunt adhæſiſſe, eſtq; expertæ virtutis, eum qui impoſitus poſt febres dulci ſomno deuictus iacuiſſet, expergefactum febrem excutere. Certè ſi quid coniectura hic loci habeat,

Eccleſiæ in honorem S. Petri à Materno erectæ.

f Fr. Guilim in Epiſc. Argent.

S. Petronillæ reliquiæ in Alſatiâ.

beat,crediderim pios Alſatarum maiores, quod D. Petro ſuæ fidei ac ſalutis primordia deberent,olim ex Vrbe Roma Sacras illas D. Petronillæ Socrus exuuias, in haſce oras adportaſſe,interim haud leue antiquitatis argumentum habet nonmodo Baptiſterium medio templo collocatum; ſed etiam Sarcophagi inſcriptio, quæ eſt eiuſmodi; MEMORIÆ TERENTIÆ AVGVSTINÆ CONIVGI SANCTISSIMÆ, IVSTVS IVSTINVS MARITVS EIVS TITVS OCEANVS ET FLORIDA MATRI PIENTISSIMÆ.

His ita geſtis læti auctiq; ſocio iam rediuiuo ſancti, magnis animis auſiſq; pergunt, cis Rheni limitem Euangelij lumen populis inferre: multiſq; rebus admirandis ſupra mortalitatem editis, vineam Domini in omnem partem propagarunt; & tandem magnis Chriſti gloriæ inter homines augendæ,laboribus ſuſceptis, Treuirim demùm, cuius id temporis ob inſignem bellicæ domeſticæq; laudis gloriam ſumma apud omnes erat exiſtimatio,anno Pontificatus Apoſtolorum Principis PETRI octauo, Claudij Aug. nono, naſcentis Chriſti quinquageſimo delati ſunt. Sanè verò, niſi Methodio,cæteriſque vetuſtiſſimis vicinarũ Eccleſiarum membranis fidem abrogamus, ipſos quadraginta annos Maternũ deinde Treuirorum Eccleſiam adminiſtraſſe, totque annos Sacerdotali munere perfunctum, conſtans aſſertio eſt, quot diebus ſupra meminimus in ſepulchro iacuiſſe,quare nõ Treuirorum ſeſe finibus duntaxat Materni cura induſtriaq; cohiberi paſſa eſt; ſed ad Nemetes, Vangiones, & Tribocos, quos per interualla inuiſit, inde ad Agrippinenſem Coloniam,Germaniam quoq; Ripenſem vltra Tungros & Eburones nomen Chriſtianum protulit, tandemque Arduenna ſilua peragrata,irremiſſo, qualem Epiſcopum decebat, ſudore implexa falſiſſimarum opinionum dumeta excîdit. Et

Treuiris octauo Petri anno ad fidem conuerſa.

Digitized by Google

Inſigne miraculum.

g *Aegid. in Geſt. Leod. & Tung. Epiſc.*

cum trium Eccleſiarum, Treuirenſis, Agrippinatis,& Tungrenſis difficilem ſanè prouinciam ſuſtineret, accidiſſe memorant, g (id quod non minus conditionem corporum, quam naturæ facultatem excedit) vt ipſa Natalis Domini Sacratiſſima nocte, ipſaq; Paſchali die, ductore Angelo, tribus hiſce inter ſe quam longiſſimè diſſitis locis, Treuiris ſcilicet, Coloniæ Agrippinæ,& Tungris immaculati Agni cæleſtem hoſtiam præpotenti Deo ad aram Sacerdotali ritu ſacrificarit.

CAP. XLIII.

Petrus Ieroſolymam reuertitur, & ibidem Concilium Apoſtolorum celebratur.

a *Sueton. in Claudio c. 25. Baron. Annal. 1. Corin. in c. 14. Act. 9. 4.*

Cùm itaq; Romæ auctore Petro magna incrementa ſumpſiſſet fides Chriſtiana, aſſiduè tumultuabantur Iudæi a aduerſus Chriſtianos, & Petrum, qui tùm ex Iudæis non paucos, tum ex Gentilibus adhuc plures conuertebat, ita vt grauiter ac iniquo animo ferrent, vel in perfidia durantes Iudæi tam multos aggregari Euangelio, vel ex Iudæis Chriſtiani, adeò facilem Gentilibus aditum patefieri ad Euangelium abſque onere legis ſcriptæ.

Cur Claudius Iudæos Româ proſcripſerit.

Quare Claudius Imperator Chriſtianos æquè ac Iudaici ritus cultores, Iudæorum numero cenſens, edicto vniuerſos comprehendit, quo ſolum vertere compellerentur; ij certè, qui gente,& origine erant Iudæi, hi tum Antiochiam, tum aliò reuerſi: & qui religionem Iudaicam tuebantur,& qui Chriſtiani euaſerant, nullum finem faciebant aut lacerandi nomen Chriſtianum, aut Petri aliorumq; facilitatem reprehendendi in admittendis Gentilibus. Ipſam tunc arcem religionis Ieroſolymam petierunt, & quaſi eorum, qui ibi

Digitized by Google

ibi agerent ex circumciſione fidelium tenerent aſſenſum, ex Iudæis & ipſi Chriſtiani Antiochiam deſcenderunt, vbi maior abundabat fidelium numerus.

Expulſum igitur cum cæteris Iudæis Romæ commorantibus etiam Petrum Apoſtolum (niſi alia aliqua occaſio inde eum ante abduxerit) nulla eſt dubitatio, quem hoc ipſo anno Domini quinquageſimo primo, Ieroſolymorum interfuiſſe Concilio, Lucæ teſtimonio, [b] exploratum habetur. Metâphraſtes (ſi quæ tamen fides adhibenda eſt illi ſine maiorum auctoritate loquenti) tradit Petrum cum Româ receſſiſſet, in Africam nauigâſſe, & Carthaginenſem erexiſſe Eccleſiam, ac ibidem reliquiſſe Creſcentem diſcipulum, qui illam adminiſtraret; inde Alexandriam conceſſiſſe, erectâq; Eccleſiâ Alexandrinâ, ibiq; Marco inſtituto Epiſcopo, ac Thebis Rufo, Ieroſolymam profectum eſſe. [c]

b Act. 15.

Petrus quò Roma diſcedens abierit.

c Metaphr. die 29. Iunij.

Sed, vt reuertamur ad id de quo dicere cœperamus, extiterunt Iudæi, qui primùm Antiochiæ, deinde etiam Ieroſolymæ docerent, qui non circumcideretur, vitam ſempiternam conſequi poſſe neminem. Tum fortè Antiochiæ erant Paulus & Barnabas, qui cùm contrà docerent id non eſſe neceſſarium, res ad magnam contentionem ſeditionemq; peruenit: itaque Chriſtianis omnibus qui eam vrbem incolebant, Paulum & Barnabam vnius, quoſdamq; alios alterius factionis, mitti placuit de hac controuerſiâ Ieroſolymam ad Apoſtolos atq; maiores natu.

Quò vt venerunt, Apoſtoli maioreſq; natu conuenerunt vnum in locum, vt quid de hac re teneri oporteret, viderent. Cùmq; res diligenter tractaretur, Petrus ſurgens, ſcire omnes qui aderant, dixit, prouidentiâ diuinâ iampridem factum eſſe, vt ex ipſius ore Gentes Euangelij verba audirent, & crederent, idq; Deum ita approbaſſe, vt eis æquè

De Concilio Apoſtolorum.

Digitized by Google

ac ipſis qui Iudæi eſſent, ſpiritum ſanctum daret, nihilq; inter vtroſq; intereſſe oſtenderet. Itaq; nihil eſſe quòd dent operam, vt Deus onus diſcipulis imponat, quod neq; ipſi neq; maiores ferre potuiſſent, pręſertim cùm munere ac beneficio Iesv Chriſti, gloriam ſempiternam, quemadmodum illi ſe conſequuturos eſſe confiderent.

Iacobus frater Iudæ Apoſtoli qui Ieroſolymitanus Epiſcopus erat, cùm peroràſſet Petrus, ita loquutus eſt;

Simonem narraſſe, quemadmodùm Deus primùm conſtituerit ex Gentibus populum ſibi adipiſci, ac ſumere, id quod prophetæ tradidiſſent. Itaq; hoc cenſere ſe, eorum animos qui ex Gentibus ad Deum reuerterentur, non eſſe conturbandos nouis legibus ſed ſcribendum ad eos eſſe, vt ſe deinceps ab ijs quæ idolis immolarentur, à ſtupro & fornicatione, ab eorum animalium quæ ſuffocata eſſent, ſanguine abſtinerent.

Hoc omnium ſententijs comprobatum eſt. Itaq; miſſa epiſtola ad eos qui Antiochiæ erant, cuius hæc fuit ſententia, Viſum eſſe Spiritui ſancto & ipſis, nihil oneris eis imponere, niſi ea quæ modo commemorauimus, & S. Lucas in Actis pluribus enarrat.

CAP. XLIV.

De controuerſiâ Petri & Pauli Antiochiæ.

Petrus Antiochiam redit.

PRædicto Apoſtolorum conuentu abſoluto, & compoſitis iam rebus inter Gentiles & Iudæos, venit Petrus Antiochiam, & abſq; aliqua offenſione cuiuſpiam, ibidem cum Gentibus manducauit.

Poſt hæc verò, cùm quidam à Iacobo Ieroſolymis venirent Antiochiam, Petrus ne illis ſcandalum præberet, & occaſio-

Digitized by Google

occaſionem offenſionis inferret, quòd gentiliter viueret, ſe ſubtraxit à Gentilibus Chriſtianis; & Iudæis fidelibus inhærens, ſe Iudaicè viuere ſimulauit. *Non hoc*, inquit S. Chryſoſtomus,[a] *metuens, ne veniret in diſcrimen: namq; initiò non metuerat, multò minùs tunc metuiſſet: verùm illud metuebat, ne deficerent; quandoquidem ita & ipſe Paulus loquitur Galatis, dum inquit, Timeo vos, &c.* Inde autem per occaſionem accidit, vt tam Iudæi quàm Gentiles, ac etiam Barnabas eorum inſtitutor, iudaizarent. Quo exemplo D. Paulus commotus, vt excreſcentem errorem cohiberet, Petrum coram omnibus acriter redarguit his verbis:[b] *Si tu cùm Iudæus ſis, Gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare?* &c.

a In Epiſt. ad Gal. c. 2.

b Gal. 2. v. 14.

Petrus cur a Paulo redargutus.

Hîc eſt lapis offenſionis, inquit Baronius,[c] *hîc petra ſcandali, in quem complures impegiſſe noſcuntur: qui enim hiſtoriam captu difficilem, nullâ aliâ adhibitâ diligentioris ſtudij conſideratione, curſim legentes ſunt interpretati, eò inſania progreſſi ſunt, ut vel Paulum temeritatis arguerent, quòd in Petrum non tam liberè quàm procaciter (quod aiunt) ſit inuectus; vel hypocriſis nomine ſuggillent Petrum, quòd ageret ſimulatè; vel utrumq; condemnent: quòd non in eamdem fidei regulam conſentirent.*

c Annal. t. 1. ad an. 51.

Nos nullam horum opinionem ſequentes, ſed Baronij viam verè regiam incedentes, dicimus à neutro ipſorum admiſſum fuiſſe peccatum, nec vllam ſimulatam actionem interueniſſe; ſed omnia ſeriò facta, & ſine omni culpa admiſſa fuiſſe. Eſt enim omnibus exploratum, & apud omnes in confeſſo, Apoſtolos abſq; leuiſſima culpa, ſecundum loci & tẽporis rationem, vti potuiſſe legalibus; vt & Paulus ipſe ſæpè feciſſe conſpicitur: adeò vt hac ex parte nullum poſſit Petro adſcribi peccatum, ſi cum Iudæis Iudaicè aliquando vixiſſet, dicente de ſe Paulo:[d] *Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer, ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe*

Excuſanter ambo à peccato.

d 1. Cor. 9. v. 20.

non

non eſſem ſub lege) ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem: ijs qui ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucri facerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſaluos.

Si itaq; nullius peccati reus eſt Paulus, quòd ſæpe legalibus vſus eſt, multò minùs redarguendus eſt Petrus, qui ſemel ſecum illis immiſcuit.

e Gal. 2. v. 11. Cur ergò peccauit Petrus? *In faciem*, inquit Paulus,[e] *ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Ad huius dubij ſolutionem, in vnaquaque hominis actione duo inprimis conſideranda ſunt: intentio, qua aliquid factum eſt; & opus ipſum, quod quale ſit ab hominibus cernitur: prioris quidem Deus tantùm, qui corda ſcrutatur & renes, iudex eſt & vindex: opus verò quod videtur, humano iudicio ſubijcitur. Non potuit ergò Paulus reprehenſibilem dixiſſe Petrum, ex eius animi intentione, quam non valuit inſpicere, ſed tantùm ex facto, quod vidit. In quo duo adhuc ſunt conſideranda: opus ipſum; & quod eius occaſione prouenit. Primum permiſſum erat, quod & ipſe Paulus ſæpiùs fecit; idcircò nec à Paulo reprehendi poterat, nec eius cauſa Petrus reprehenſibilis dici: reſtat ſolùm ergò, vt Paulus reprehenſibilem Petrum dixerit, quòd occaſione operis iure riteq; ex diſpenſatione patrati; res quæ reprehendenda meritò foret, eſſet oborta; nimirùm quòd eius exemplo Gentes ad Iudaizandum impellerentur; à quo quidem facto cùm & animus Petri procul abeſſet (nam hactenùs Antiochiæ Pauli teſtimonio, Gentiliter vixerat, & prædicta occaſione ad Iudaicos ritus ad modicum deflexerat) nec peccatum ineſſe potuiſſe certiſſimum eſt. Sic igitur Petrus, qui à culpa innocens atque immunis erat, ex dicta occaſione Paulo reprehenſibilis viſus eſt: ſicut & ipſe Paulus alijs reprehenſibilis videri potuiſſet, ſi, cùm Timothe-

Digitized by Google

Timotheum Gentilem hominem circumcidit, vel more Nazaræorum caput totondit in Cenchræis, vel Ieroſolymis ſe purificauit cum Iudæis; Gentiles Chriſtiani qui vidiſſent, ad ipſum faciendum eius exemplo fuiſſent impulſi: de quibus, quod ipſe Paulus de Petrum imitantibus dixit, iure dici potuiſſet, quòd non rectè ambularent iuxta veritatem Euangelij; & in ipſum Paulum quoq; dici, quod ipſe in Petrum, ac multò æquiùs: quòd cùm ſuſcepiſſet patrocinium Gentium, immiſcens ſe Iudaicis ritibus, ſuo exemplo cogeret Gentes Iudaizare; & quod in Petro damnâſſet, inconſtanter admitteret; cùm alioqui ea omnia Paulus abſque vllâ leuioris criminis culpâ peragere.

Petrus autem, inquit D. Cyprianus, *f quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus poſtmodùm de circumciſione diſceptaret, nec vindicauit ſibi aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potiùs oportere; nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ primus perſecutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit. Documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus: ſed quæ à fratribus aliquando, & collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus.* Hactenus Cyprianus. *Hæc verò de contentione* (verbis vtor S. Hieronymi g) *ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli dixiſſe ſufficiat.* Hîc etiam Antiochiæ concionanti Petri capitis ſummum, ab improbis quibuſdam, raſum nonnulli h prodiderunt, quod initium illis Coronis dederit, quas in capite Clerici geſtare ſolent. Coëlfridus Abbas i S. Petrum attonſum refert in memoriam ſpineæ Domini coronæ.

f Epiſt. 71. ad Quin.

g In epiſt. ad Gal cap 2

Petro caput raſum.

h V. Bed. hiſt. Angl lib. 5. c. 22. Greg. Tur. de gor Mart. c. 8. & Germ. in hiſt quem citat Lind l. 4. pan. c. 77. Eiſengr. cent. 1 p. 5. d. 1.

i In epiſt. ad Reg. Angl.

CAP. XLV.

Petrus iterùm Romam redit.

Petrus Romã redit.

ANno Domini ſexageſimo octauo, cùm Eccleſia Romana, cruento Neronis gladio quaſi penitùs exſcinderetur; Petrus & Paulus diuinitùs admoniti, vt afflictatæ Eccleſiæ maturè ſuccurrerent, è diuerſis orbis partibus Romam ſe iterùm contulerunt, atque collabentem penè Eccleſiam inſtaurârunt, rurſùm Euangelium prædicantes. [a]

[a] Metaphr. 29. Iun.

Habetur apud Lactantium huius concionis nobile fragmentum, de prænunciatâ his diebùs ab eisdem Apoſtolis futurâ clade Ieroſolymitanâ, cuius bellum hoc ipſo anno inchoatum eſt. Cùm enim, vt accidit, de Iudæorũ defectione frequens ſermo eſſet inter Romanos; inde ſuppeditatum eſt argumentũ de his agere, quæ his verbis præcitatus Lactantius Firmianus, [b] memoriæ commendauit. *Futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt: & ea prædicatio in memoriã ſcripta permanſit; in quâ cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, ut poſt breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos & ciuitates eorum ſolo æquaret, ipſos autem fame ſitiq; confectos obſideret. Tum fore ut corporibus ſuorum ueſcerentur, & conſumerent ſe inuicem: poſtremò ut capti venirent in manus hoſtium & in conſpectu ſuo acerbiſſimè coniuges ſuas vexari cernerent, uiolari & proſtitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia deniq; ferro igniq; vaſtari captiuos in perpetuum terris ſuis exterminari: eò quòd exultauerant ſuper amantiſſimum & probatiſſimum filium Dei.*

[b] Lib. 4. diuin. inſtit. cap. 21.

Petri & Pauli vaticinium de excidio Ieroſolymitano.

Hucusque Lactantius.

CAP.

CAP. XLVI.

Petrus Romæ ſecundam ſcribit Epiſtolam.

PRæter hæc Petrus dum Romæ agit, non contentus ſoli Romanæ Eccleſiæ proſpicere, ſed quòd vniuerſi gregis creditam ſibi curam à Domino accepiſſet, ac præcipuè Iudæorum patrocinium in Concilio Ieroſolymitano ſibi ſumpſiſſet, iam ſecundam ad eos ſcribit epiſtolam: De fide Chriſti, à Prophetis per Spiritum ſanctum prænunciata: De ſeductoribus euitandis: De tempore non negligenter tranſigendo: De præparatione ad imminentem iudicij diem. Petrus ſecundam Romæ ſcribit epiſtolam.

Huius epiſtolæ ipſemet Petrus argumentum & ordinem explicans, in tertio eiuſdem capite ſic inquit: *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam; in quâ veſtram excito in commonitione ſinceram mentem: ut memores ſitis eorum quæ prædixi,* &c.

De huius epiſtolæ auctore & auctoritate, dubitatum aliquando fuiſſe tradunt Origenes, Didymus & Euſebius. Sed id factum eſſe ob diuerſitatem interpretum, S. Hieronymus tradit his verbis: [a] *Denique & duæ epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraq; verborum; ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum, diuerſis eum uſum interpretibus.* De eius auctoritate.

[a] *Epiſt. 150. & in catal. in Petro.*

Porrò non tantùm Patres eâ ſunt vſi, ſed quotquot ſacra Concilia contexuêre Catholicorum librorum catalogum: vt Romanum ſub Damaſo, Laodicenum, Carthaginenſe tertium, alterum Romanum ſub Gelaſio, & nouiſſimè Tridentinum: [b] Omnes inſuper ſanctiſſimi Epiſcopi idipſum ſuis ſcriptis præſtitêre: vt

[b] *Seſſ. 4. decreto de canon. Script.*

Digitized by Google

Athanaſius in Synopſi, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Auguſtinus, Ruffinus, quiq; inſuper his præſtant auctoritate, Clemens I. Innocentius, Gelaſius, & alij Orthodoxi veteres & recentiores, omnes æquè eam eſſe Petri epiſtolam profitentur.

Latini eam in tria; Græci in quatuor capita diſecârunt.

CAP. XLVII.

Quæ Petrus Romæ cum Simone Mago egerit: & de Simonis miſerando interitu.

a Cap 35.

Petri cum Simone Mago concertatio.

b Philaſtr. de her. cap 3.

c lib. 3. cap. 2.

CÆterùm cùm his temporibus Simon Magus, de quo ſupra dixi, [a] Romæ itidem moraretur, D. Petrus multas cum eo diſputationes inſtituit, tam coram Nerone, quàm populo [b] Egeſippus [c] quidem aliquid narrat, quod quia & ad Petri laudem, & Simonis ſumum dedecus pertinet, non erit alienum exponere. Simonis iſtius fraudes & præſtigia tantùm apud Neronem valuerant, ut non ſolùm primum apud eum locum amicitiæ teneret, verùm etiam illi ab eo diuini honores tribuerentur, ut Iuſtinus, Irenæusq; commemorant: præter alia autem inuſitata opera quæ effecturum ſe eſſe pollicebatur, etiam mortuos ab inferis excitare ſe poſſe iactabat. Exceſſerat tùm fortè è vitâ Romæ adoleſcens nobilis, Neronis propinquus, ad quem excitandum alij Petrum, alij Simonem accerſendum cenſuerunt. Illi cùm veniſſent, Petrus Simoni qui ſuam uim & poteſtatem iactaret, priores partes dedit, ita tamen ut ſi id quod ſe facturum eſſe profiteretur, non præſtaret, ipſe non deeſſet. Simon qui plurimùm apud barbaros & ignaros homines artes ſuas valituras ſperaret, conditionem hanc propoſuit, ut ſi ipſe adoleſcentem ab inferis excitaſſet, Petro moriendum eſſet, ſin Petrus hoc certaminis

taminis genere viciſſet, idem ipſum ſupplicium maneret, placet Petro conditio.

Acceſſit ad mortuum, qui ut carmina quædam pronunciare cæpit, is qui mortuus erat, caput mouere, & agitare viſus eſt. Hinc clamor barbarorum eum viuere, eum cum Simone loqui cum gaudio vociferantium : hinc in Petrum iratum ſtimuli, hinc etiam irridentium cachinni, quòd ſe auſus eſſet cum Simone comparare. Petrus qui ea falſa, quæ à Simone fiebant, intelligeret, eundem vultum, eundem oris animiq; habitum ferebat. Silentiumq; ut imperauit, ita locutus eſt, non id verum eſſe quod videretur, ſed ſpeciem quãdam veri imitari. Quòd ſi verum eſſet eum viuere, ipſe loqueretur : ſi verè ab inferis excitatus eſſet, ſurgeret, incederet, colloqueretur. Atq; quò facilius non ſolùm id falſum eſſe quod videretur, intelligi poſſet, ſed ne iam quidem oſtendi ſpeciem poſſe, Simonem à mortuo iubet ſecedere: cùm receſſiſſet, ne moueri quidem unquam viſus eſt poſteà.

Tùm Petrus, cùm ſecum ipſe ſilentio pauliſper oraſſet, adoleſcenti ut Chriſti nomine ſanus & incolumis ſurgeret, imperauit. Statim ſurgit adoleſcens, loquitur, incedit, cibum capit. Eum poſteà matri tradidit, quæ cùm eum rogaret, ut ab ſe illum diſcedere ne pateretur, eam ne timeret, hortatus eſt, Deum enim cuſtodem ſuum habet. Hoc cùm omnibus ingentem admirationem excitaſſet, in contrarium verſa ſunt omnia. Petrum laudibus in cælum ferre omnes, Simonem ut præſtigiatorem irridere, explodere, & lapidibus obruere; idq; factum eſſet, niſi Petrus compreſſo ac ſedato pauliſper tumultu, ſatis acre de illo ſupplicium ſumptum eſſe dixiſſet, quòd artes ſuas nihil valere intelligeret atque ſentiret. Viueret ille ſanè, & Chriſti regnum creſcere vel invitus cerneret.

Petrus mortuum adoleſcentem ſuſcitat ad vitam.

Angebatur ille Apoſtoli gloriâ, ſeq; victum dolebat.

Digitized by Google

Itaque conuocato populo offenſum ſeà Galilæis (ſic enim noſtros contumeliæ causâ appellabat) oſtendit, deſerturumq; ſe dixit eam vrbem quam tueri ſoleret. Conſtituit diem quo in cælum volando aſcenderet, ſibiq; in cælum quando vellet, aditum patere dixit. Dies vt conſtitutus venit, collem Capitolinum conſcendit; vnde ſe deijciens volare cæpit, cum ſummâ populi admiratione, qui eum venerabatur: plerique vim talem Dei, non hominis eſſe dicebant, nihil tale feciſſe Chriſtum.

Simon Magus volatū ſimulans vi orationis S. Petri decidit.

Petrus intereà orare cæpit IESVM vt ei ſuas artes futiles eſſe oſtenderet, nec tali ſpecie populus deceptus, non facilè ad fidem compelli adduciq; poſſet. Sed tamen precari, vt ſic in terram caderet, vt nihil ſe potuiſſe viuus recognoſceret. Ille vt Petrus finem dicendi fecit, implicatis remigijs pennarum quas ſumpſerat, corruit, non quidem exanimis, ſed fracto debilitatoq; crure. Areniam conceſſit, ibiq; mortuus eſt.

d Serm. 67. de Natal. Apoſt. Vel potius Maxim. Taur. ſer. 5. in natal. Apoſt.

Hanc poſteriorem hiſtoriam ita etiam enarrat S. Ambroſius:[d] *Cùm verò idē Simon ſe Chriſtum diceret, & tamquam filium ad patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atq; elatus ſubitò magicis artibus volare cæpiſſet: tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum: & precatione factâ vicit magicam leuitatem. Prior enim aſcendit ad Dominum oratio, quàm uolatus: & antè peruenit iuſta petitio, quàm iniqua præſumptio; antè Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret ad cæleſtia, quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut uinctum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxa illidens, eius crura confregit: & hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulò antè uolare tentauerat ſubitò ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumpſerat plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd magus iſte præſente Apoſtolo per aerem aliquandiu uolitauerit; hoc patientia Petri fecit; permiſit enim illum*

Digitized by Google

illum ſublimius aſcendere, vt altiùs caderet: voluit eum in excelſum leuari in conſpectu omnium, ut ruentem illum de excelſo oculi omnium peruiderent. Hac igitur iniquitatis eſt elatio, ut in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat; ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, & vniuerſam deijcit vanitatem. Huculque S. Ambroſius.

Huic adſtipulantur liber de Romanis Pontificibus, inſcriptus nomine Damaſi, in Petro: S. Clemens Romanus.[e] Arnobius,[f] Cyprianus,[g] Epiphanius,[h] Euſebius,[i] Auguſtinus,[k] Seuerus,[l] Egeſippus iunior,[m] Theodoretus,[n] Metaphraſtes,[o] Nicephorus[p] Cedrenus,[q] Gregorius Turonenſis,[r] & alij his poſteriores ferè innumeri: adeò vt de re quæ in confeſſo eſt apud omnes, nefas ſit ampliùs dubitare, cùm tam Latinorum quàm Græcorum teſtimonio lapſus Simonis confirmatus habeatur; nec curandum eſt, ſi in minimis quibusdam ab inuicem diſcrepent, cùm in re geſtâ omnes æquè conſentiant. Arnobij ſuprà citati verba hæc ſunt: *Viderunt* (Romani) *curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diſſlatas & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderunt, inquam, fidentem dijs falſis & ab iiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, & curibus iacuiſſe præfractis.*

e Conſt. lib. 6. cap 9.
f aduerſ Gent. lib 2.
g Catech 6.
h hæreſ 21
i hiſt. lib 2. cap 14.
k Contr Fulg. Donat. cap 23.
l hiſt lib. 2.
m lib 3 cap 2.
n hær fab. lib. 1 cap. 1
o 29. Iunij.
p lib. 2 cap 26.
q in compend.
r Hiſt Franc. lib 1 cap 25.

CAP. XLVIII.

Petrus Neronis iuſſu comprehenditur. Item de carcere eius.

AT Nero, vir in tanto imperij culmine impudicitiâ ac ſceleribus omnibus inſignis, vbi prædicta comperit, dolens amici caſu, ereptumque ſibi virum Reip. vtilem ac neceſſarium moleſtè ferens, Petrum quemadmodum interficeret, cogitare cœpit. Cùm verò comprehendi eum iuſſiſſet, eâ re cognitâ, Chriſtiani omnes eum rogant,

cendo, quòd exire prohibentur. In hoc pars quæ ſub terrâ, Tullianum; ideò quòd additum à Tullio Rege; quod Syracuſis, ubi ſimili de cauſâ cuſtodiuntur, vocantur Latomiæ, & de Latomiâ tranſlatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerunt. Hæc Varro.

Cur autem dictus ſit carcer ille Mamertinus, haud facilè erit aſſequi. Potuit namq; ſic dici à Mamerte, qui, vt docet Varro,[e] idem quod Mars ſignificat, & Mamertinus idem quod Martius, & à Mamerte Mamercus, & Mamerca familia: cùm alioqui reperiantur nonnulli Romanorum nobiliſſimi ex alijs familijs nomine Mamertini. Auctores, qui dictum carcerem exſtruxerunt, demonſtrat vetus inſcriptio in eius fronte poſita. *e loc. cit.*

C. VIBIVS C. F. M. COCCEIVS NERVA EX S. C. Creati ſunt hi Coſſ. anno 718. ab Vrbe conditâ. Imp. Aug año 7.

Carcer itaque Mamertinus S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli aliorumq; ſanctorum Martyrum vinculis conſecratus, ex quo deſiêre ſuperſtitioſæ Gentilitatis Imperatores, deſijt etiam eſſe criminoſorum ergaſtulum, ac mutatus eſt in eccleſiam.

Petri geſta in carcere.

In dicto carcere Proceſſum & Martinianum milites,[f] Apoſtolorum cuſtodes, & alios quadraginta ſeptem, qui poſteà ſub deuotiſſimâ fidei confeſſione, Neroniano gladio martyrium conſummârunt,[g] ad fidem Chriſtianã conuertit & baptizauit Petrus; erumpente diuinâ virtute ex petrâ fonte, ut eorumdem res geſtæ declarant.[h]

f Mart. Rom. 2. Iulij

g Mart Rom. 14. Mart.

h Surius tom. 4. 2. Iunij.

Admiratione res digna eſt, inquit Baronius,[i] eundem illic fontem in hanc uſque diem perſeuerare, non tantùm rerum ibi geſtarum memoriâ nobilem, ſed perenni illuſtrem miraculo: quippe poſitus in medio carceris ſtrati prægrandibus lapidibus Tiburtinis ſibi inuicem inhærentibus, è perforato ſaxo altitudine cubitali tantummodò, & palmi vnius

i Annal tom. 1. ad an. 68.

Fons Miraculoſus.

Digitized by Google

eos ducebant ita placuit, fortaſſis propter diuerſitatem ſupplicij, quo Apoſtoli afficiendi erant, nam ijdem inhabitauerant, cruci affigendus: D. Paulus verò, quòd ciuis Romanus eſſet, inter Chriſtianos capite plectendus erat) diuiſus, mutuâ priùs ſalutatione impartita per oſculum ſanctum, dum ad paſſionis locum rectà ducitur, comitantibus populorum turbis innumeris, ad portam Vrbis obuiam habet Plautillam matrem Domitillæ nobiliſſimam matronam, quam cùm flentem videret, ab ea velum poſtulat, quo feriendus gladio, ex more obduceret oculos: illa libenter parens, liberaliter tradit illud ipſum, vt erat pollicitus, poſteà receptura. Paulò pòſt tres milites ex his qui ex apparitura erant, nempe Longinum, Aceſtum, & Megiſtum, ad fidem Chriſti conuertit: quos in confeſſione Chriſtianæ religionis conſtantes, eiuſdem Neronis gladius, poſteà martyres fecit die ſecunda Iulij. Petrus à Paulo diuellitur.

Vbi verò ad locum ſupplicio deſtinatum Paulus venit, fuſis ad Deum precibus, alacri animo (quòd id diutiùs exoptaſſet) iugulum præbuit; propè portam Oſtienſem tertio ab vrbe lapide, vbi aliquando Chriſtianorum carnificina habita fuit; anno ætatis ſuæ ſexageſimo octauo. *b* Paulus gladio cæſus.

Cùm ictu carnificis truncaretur; non tam ſanguinis fluenta è ſectis venis, quàm lactis (res planè miranda) largiter fluxerunt. Vnde S. Ambroſius: *c* *De Pauli verò ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis unda quàm ſanguinis: & mirum in modum ſanctum Apoſtolum Baptiſmi gratià in ipsâ cade extitiſſe ſplendidum potiùs quàm cruentum. Quæquidem res in S. Paulo ſtupenda non eſt. Quid enim mirum. ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ ſicut ipſe ad Corinthios ait: d Lac vobis potum dedi, non eſcam? Hæc eſt planè promiſſionis illa ter-*

b Chryſoſt. orat. in Princ. Apoſt.

c Serm. 69.

d 1 Cor. 3 v. 2.

Ff 2 *ra, quam*

ra, quam Deus Patribus noſtris promiſit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terrâ locutus eſt, quæ dimanantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq́; permiſcet; ſed de illâ tum Pauli, tum ſimilium Pauli, quæ iugiter purum ſuaueq́; diſtillat. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior, & lacte candidior? quæ epiſtolæ tamquam ubera Eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutem. De ceruice ergò Apoſtoli pro ſanguine lac manauit. Hucusq; Ambroſius.

Petrus quomodo, & quo in loco crucifixus.

Petrus autem ſic à Paulo, vt diximus auulſus, ad ſupplicium crucis ſubeundum, in gratiam Iudæorum transmittitur in eam regionem, quam ipſi inhabitauerant, ſcilicet trans Tiberim. Ibi in illa ſummitate Ianiculi ſeu Vaticani montis, quæ imminebat Naumachiæ deorſum iuxta Tiberim poſitæ,[e] capite deorſum verſo, & in ſublime pedibus eleuatis (ſic enim mori cupiebat, aſſerens ſe indignum, *ut ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus*, inquit S. Hieronymus[f]) cruci affigitur,[g] tertio Kalendas Iulij:[h] anno ætatis ſuæ octogeſimo ſexto.[i]

Gaudeas Petre, inquit Chryſoſtomus:[k] *qui ligno crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinem rectâ quidem figurâ ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti; ſed magis inuerſo capite, veluti è terrâ ad cælum iter parans; O clauos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſierunt?*

Hanc D. Petri humilitatem atq; conſtantiam D. Maximus attollit his verbis: *Hic Petrus, qui cùm ad crucem tanquam crucifixi diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non renuit, ſed æqualitatem crucis dominicæ declinauit, ut oſtenderet uniuerſis, admirandæ ſe humilitatis virtutem, nouiq́; myſterij diſciplinam & inter tormenta ſeruaſſe. Quàm ſecurus chariſſimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulſo timore mortis, moriendi ordinem tam acerba in paſſione quæſiuit.* ſed & Prudentius[l] his verſibus:

Prima

e *Baro tom. 1. Annal*
f *Deſcript. Eccleſ. in Petro. Item Theod. orat. de char. Euſeb. lib. 3. cap. 2.*
g *Tertull. lib. d. praſcr. & in Scorp. Epiphan. hær. 27.*
Chryſ. in ep. ad Rom. ho. 32. & in Gen. cap. 47 hom. 66. In Epiſt. ad Tim. 2. cap. 2. hom. 5. Aug. Ser. de Sanct. 28. Ambr. ſer. 67 de Nat. Apoſt. Max. in Nat. Ap. ſer. 1.
h *Mart. Rom. 29. Iunij.*
i *Bellarm. li. 2. de Rom. Pont. cap. 9.*
k *Homil. in Princ. Apoſt.*

Prima Petrum rapuit ſententia; legibus Neronis
Pendere iuſſum præminente ligno.
Ille tamen veritus celſa decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magiſtri:
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis;
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen,
Hoc mente maior, quò minor figurâ:

CAP. L.

Petri ſepulchrum quam glorioſum: etiam à Regibus religionis ergò inuiſitur. Petrus Romam contra hoſtes protegit, quod varijs exemplis illuſtratur.

Cùm in cruce ſic affixus martyrium conſummaſſet Petrus, à Marcello presbytero [a] eius corpus de cruce depoſitum, & curatum fuit, aromatibusq; conditum magnificentiſſimè more regio, ne dum Iudæo: in ima verò Vaticani parte ſepulturæ traditum, apud quam Neronis horti erant, & circus cum obeliſco. [b] Erat porrò pars illa Vaticani etiam oliuis ferax & fonte irrigua, vt docet Prudentius: [c]

a Act. Lini. Petrus à quo & vbi ſepultus.

b Baron. tom. 1. Annal.

c Periſte. hym. 12.

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Carens oliua, murmurans fluento:
Namq; ſupercilio ſaxi liquor ortus excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem.

Sic igitur glorioſiſſimo martyrio tam Petrus quàm Paulus vita functi ſunt; locaq; ipſa vbi eorum ſacra corpora ſepulta fuerunt, non quidem obſcura, ſed quod mirandum eſt, inter perſecutores abſq; iactura vel contumelia aliqua cla-

Digitized by Google

riſſima remanſerunt, eademq; velut nobiliſſima trophæa victoriæ, à Chriſtianis ſummo honore ſunt habita. Eos etiam conſueuiſſe ex remotioribus tam orientalis, quàm occidentalis orbis partibus Romam venire, vt veneranda Apoſtolorum ſepulchra inuiſerent, ac venerarentur, Acta complurium S S. Martyrum declarant. [d]

Sepulchra Apoſtolorum quàm venerabilia.

d Sur tom 1. 14 Febru & Rom. Mart. 19 Ian & 22. Nouembr.

Porrò tentaſſe orientales Chriſtianos hoc eodem anno ſubripere ſacra corpora Apoſtolorum, & in Orientem transferre, ac vti ſuos gentiles ſibi vendicare, Gregorius Papa ad Conſtantiam Auguſtam ſcribens, teſtatur his verbis; [e] *Eo tempore, quo paſſi ſunt, ex oriente venerunt, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent: quæ ducta usque ad ſecundum Vrbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt: ſed dum ea inde leuare omnis multitudo eorum conueniens niteretur: ita eos vis tonitrui atq; fulguris nimio metu terruit atque diſperſit, ut talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Hæc S. Gregorius.

e Lib. 3. epiſt. 30

At reddita Eccleſiæ pace, Chriſtiani Imperatorres eadem inuiſere, venerari, & debito religionis obſequio colere, ſtudioſiùs quæſierunt, ac propenſiùs curauerunt. De his enim hæc Auguſtinus: [f] *Nunc*, inquit, *ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piſcatoris.* & alibi ſcribens ad Maduarenſes: [g] *Videtis & Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Et Chryſoſtomus [h] *Seruorum Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ Vrbem maximè regiam occupauerunt, & dies perſpicui ſunt: diem feſtum terrarum orbi facientes, non ædificiorum amplitudine & ſplendore (hac enim parte excellunt) ſed quod amplius eſt, conuenientium ſtudio.*

f de SS. ſer. 28.

g Epiſt. 42.

h In 2 ad. Corint. 1. hom. 26.

ſtudio. Nam & ipſe ille purpurâ indutus peregrè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu depoſito, contigit ſanctos, rogans ut ſibi apud Deum patrocinentur; & tabernaculorum opificem & Piſcatorem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema geſtans. Idem alibi:[i] *Relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris & Pellionis currunt & Reges, & præſides, & milites, Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliuntur, fiantq́ Piſcatorum oſtiarij Reges.* Idem [k] de Petri ſepulchro: *Quot Reges urbem euerterunt: portus exſtruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt: nec tamen eis quidquam profuit, ſed ſilentio & obliuioni mandati ſunt? Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam poſt mortem reſplendet Sole clarius.* Rurſum alibi:[l] *Hoc corpus plebem hanc munit, quod quauis turri, innumeriſq́ manibus ac vallis eſt tutius: & cum ipſo corpus etiam beati Petri, &c.*

i Hom. quod Chriſtu. ſit Deus.

k Hom in Pſa. 48

l In Epiſt ad Rom. hom 37.

Quàm autem hæc de protectione Vrbis ſint vera; cùm innumera ſint exempla, vnum modò ſatis habeatur beati Gregorij Romani Pontificis teſtimonium ex his, quæ experimento didicit; ſic enim ſcribit ad Ruſticianam Patriciam, rogans vt Romam veniret:[m] *Si gladios Italiæ & bella formidatis; ſolicitè debetis aſpicere, quanta beati Petri Apoſtolorum principis in hac Vrbe protectio eſt; in quâ ſine magnitudine populi, & ſine adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæſi Deo auctore ſeruamur.* Hæc Gregorius.

S. Petri corpore Roma munitur contra hoſtes.

m lib. 7. epiſt. 23.

Quomodò muri Vrbis Romæ cuſtodia S. Petro attribuatur, ex Procopio[n] audiamus: *Inter hanc portam*, nempe Flaminiam, *& alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia eſt quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata iam*

n De bello Go. lib. 1.

pridem

Digitized by Google

pridem compagine, ſeiuncta ſpectatur, non ſolum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtigium ſciſſa, nec ſanè collapſa, nec alias reſoluta. ſed utrinq; ſic inclinauit, ut cætero muro extrinſecùs partim prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc miri partem cùm demoliri tunc primùm Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cœpiſſet: obſtitere Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe, aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod utiq; Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem nec eo die quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus quo urbem obſederant barbari, hoſtilis vir ulla ad hunc locum peruenit, nec planè umquam eodem tumultuatum. Et ſanè me admiratio ſubit, nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tam diutinâ Vrbis obſidione in memoriam veniſſe muri hanc partem. Quæ res cùm miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt, ſed ad hunc diem ea è regione ſeiunctus permanet murus. hucusque Procopius. Cernitur vſq; hodie ipſe paries ab alio diuiſus, & quaſi iamiam caſurus deorſum inclinatus: a vt qui neſciat, timeat illac pertranſire. Extant & ibi proximè venerandæ imagines, indices veteris eiuſdē loci ſacti cultus.

Murus vrbis ſub S. Petri protectione.

a *Bar. tom. 7. Annal.*

CAP. LI.

Petri effigies, ſtatura, victus. Idem quamdiu Romæ ſederit.

QVod verò ad D. Petri corporis effigiem atq; ſtaturam attinet, eam Nicephorus his verbis deſcribit: a *Petrus quidem haud craſſâ corporis ſtaturâ fuit; ſed quæ aliquantò eſſet erectior, facie ſubpallidâ & albâ admodum: capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodùm prominentes fuère: oculi quaſi ſanguine reſperſi, nigri: ſupercilia propè euulſa: naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus ſimuſq; magis.*

a *lib. 2 cap. 37.*

D. Petri corporis ſtatura.

Digitized by Google

magis. Hæc Nicephorus. Scribit Euſebius,[b] ſe Petri & Pauli, & ipſius Saluatoris imagines antiquas vidiſſe. Affirmat & Auguſtinus,[c] effigiari conſueuiſſe Chriſti imaginem, hinc Petrum & Paulum pictos habentem.

b lib. 7. cap. 14.
c de conſ. Eua. lib. 1. cap. 10.

Petri nomine, inquit Hieronymus,[d] feruntur quinq; libri, quorum primus Actuum Petri inſcribitur: alius Petri Euangelium: tertius prædicationes Petri, quartus Apocalypſis, quintus liber iudicij: qui omnes inter apocryphas ſcripturas reputantur. Itenerarium verò D. Petri, ut apocryphum ſimiliter non recipit, quinimò repudiat ſancta Romana Eccleſia.[e]

d de ſcript. Eccleſ. in Petro.
Petri nomine ſcripta apocrypha.
e c. ſancta Romana, diſt. 15

Scribit Onuphrius[f] D. Petrum Romæ quaſdam ordinationes feciſſe, quibus Epiſcopos ſex, presbyteros decem, & diaconos ſeptem creauit. Cibus eius panis ſolus cum oliuis, & raro cum oleribus erat. Indumentum autem tunica ſola cum pallio.[g] Gregorius verò Nazianzenus[h] ſcribit, illũ lupinis minuto aſſe veneuntibus, famem pellere conſueuiſſe.

f de Rom. Pont.
Petri victus.
g Clemens in libr. Recogn. Petr. in catal. lib. 6. c. 22.
h Orat. de amor. paup.

Sedit autem Petrus Romanæ ſedis Epiſcopus annis viginti quatuor, menſibus quinq; & diebus vndecim, computando à ſecundo anno Claudij, Chriſti verò quadrageſimo quinto, die decimo octauo Ianuarij, vsq; ad vigeſimum nonum Iunij anni ſexageſimi noni, quo martyrio coronatus eſt.

Petrus quamdiu Romæ præſederit.

CAP. LII.

S. Petri Reliquiæ, quanto in honore ubique habitæ.

NVnc quædam de reliquijs S. Petri vt dicamus, ordo exigere videtur. De catenis ſuperiùs iam diximus.[a] Item de gladio, quem Bambergæ aſſeruari tradit, P. Chriſtophorus Veruchinus,[b] eum ex Conſtantinopoli illuc allatum credere poſſumus, nam in oratione de Vinculis S. Petri,[c] mentio

S. Petri Reliquiæ.
a Cap. 38.
b Medit. 52.
c Apud Sur. 1. Aug.

Digitized by Google

habetur de eiuſdem gladio, in baſilicâ S. Petri Conſtantinopoli cuſtodito, & magno honore habito, ex quo plurima ſcaturire ſoleant miracula; ac demùm hæc ſubduntur.

Et ſi in vetere urbe Româ S. Petrus diuerſatur per corporis ſepulturam, quam urbs illa ſortita eſt: non tamen à nobis ipſis abeſſe vult, quod pertinet ad illius gladium & catenam. Adeſt enim apud nos, qui partem hanc ut corpus continentes, ab eius coniunctione non ſeparamur: ſed cùm una eademq́ ſit gratia, qua per eius corpus, catenas, veſtes, & gladium miracula operatur, &c. vbi ad poſtremum ad ipſum S. Petrum orationem conuertens: *Omnium*, inquit, *eſt maximè pium, ut fideliſſimum Imperatorem noſtrum pro telis militaribus his catenis armes, munias, cuſtodias, victorijs & trophæis corones, hoſtibus terribilem, & ſubiectis benignum atque optabilem facias, ut pace fruentes ſub eius regno ſimus*, &c.

S. Petri Catenarum limatura.

Delimaturâ catenarum S. Petri pro ingenti munere ad Reges & Principes, alioſq; viros primarios de Dei eccleſia benè meritos à Romano pontifice mitti ſolita, quamplurimæ epiſtolæ S. Gregorij poſitæ fidem faciunt. Moris enim erat eam includere aurea claui ab altari Petri Apoſtoli acceptá, & ad abſentes tranſmittere. Hi verò, ad quos paruula clauis mittebatur, religioſè accipientes, eam ſuſpendebant ad collum, vt Apoſtoli muniti præſidio, à malis imminentibus tuti eſſent: id etenim idem S. Gregorius ſcribit inter alios ad Childebertum Regem Francorum. a Recenſet idem grande miraculum de terribili vltione diuina in Longobardum eiuſmodi religioſi inſtituti contemptorem. *Benedictionem*, inquit, *S. Petri & Apoſtoli clauem à ſacratiſſimo eius corpore tranſmiſi, de quâ videlicet claue hoc eſt geſtum, quòd narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum, ciuitatem ingreſſus, in Tranſpadanis partibus, inueniſſet: quia S. Petri clauis eſſet*

a Lib. 5. epiſt. 6. & lib. 6. ep. 23.

De claue S. Petri grande miraculum.

eſſet deſpiciens; ſed pro eo quòd auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademq; horâ defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharit atque alij multi eius homines adeſſent, & is qui ſe percuſſerat, ſeorſum mortuus, clauis verò hac ſeorſum iaceret in terrâ: factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, ut eamdem clauem de terrâ leuare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationibus & eleemoſynis deditus (Minulphus nomine) vocatus eſt, atque ipſe hanc eleuauit de terrâ: Antharit verò pro eodem miraculo aliam auream clauem fecit, atque cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ prædeceſſorem meum tranſmiſit, indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Hucuſque S. Gregorius.

Petijt & ab Hormiſdâ Papâ Iuſtinianus V. C. poſteà verò Imperator, vt earundem catenarum limaturam ad ſe tranſmitteret. Extant de his Epiſtolæ manu ſcriptæ, quas R. Card. Baronius deſcripſit in Annalibus, vt ſcias non à temporibus Gregorij Papæ eiuſmodi conſuetudinem de mittendis hiſce ſacris muneribus ortum habuiſſe.

Huiuſmodi clauem auream habentem de ſacratiſſimis vinculis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli cum Cruce miſit Vitalianus Papa coniugi Oſuui Regis Anglorum anno 605.[e] *e Bar. Annal. 8.*

Gregorius quoque Papa II. [f] *claues venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis* Carolo Martello *deſtinauit anno 726.* *f App. ad Greg. Turo ca. 110.*

Iterùm Gregorius III. anno 740. *ſacras claues ex Confeſſione beati Petri Apoſtoli accipiens, direxit nauali itinere ad partes Franciæ*, eidem Carolo Martello, vt ſcribit Anaſtaſius.

Gg 2 Deus

Digitized by Google

Iraque conuocato populo offenſum ſeà Galilæis (ſic enim noſtros contumeliæ causâ appellabat) oſtendit, deſerturumq; ſe dixit eam vrbem quam tueri ſoleret. Conſtituit diem quo in cælum volando aſcenderet, ſibiq; in cælum quando vellet, aditum patere dixit. Dies vt conſtitutus venit, collem Capitolinum conſcendit, vnde ſe deijciens volare cæpit, cum ſummâ populi admiratione, qui eum venerabatur: plerique vim talem Dei, non hominis eſſe dicebant, nihil tale feciſſe Chriſtum.

Petrus intereà orare cæpit IESVM vt ei ſuas artes futiles eſſe oſtenderet, nec tali ſpecie populus deceptus, non facilè ad fidem compelli adduciq; poſſet. Sed tamen precari, vt ſic in terram caderet, vt nihil ſe potuiſſe viuus recognoſceret. Ille vt Petrus finem dicendi fecit, implicatis remigijs pennarum quas ſumpſerat, corruit, non quidem exanimis, ſed fracto debilitatoq; crure. Aretiam conceſſit, ibiq; mortuus eſt.

Simon Magus uolatū ſimulans vi orationis S. Petri decidit.

Hanc poſteriorem hiſtoriam ita etiam enarrat S. Ambroſius:[d] *Cùm verò idē Simon ſe Chriſtum diceret, & tamquam filium ad patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere; atq; elatus ſubitò magicis artibus volare cæpiſſet: tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum: & precatione factâ vicit magicam leuitatem. Prior enim aſcendit ad Dominum oratio, quàm uolatus: & antè peruenit iuſta petitio, quàm iniqua præſumptio; antè Petrus in terris poſitus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret ad cæleſtia, quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut uinctum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxa illidens, eius crura confregit: & hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulò antè uolare tentauerat ſubitò ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumpſerat plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd magus iſte præſente Apoſtolo per aerem aliquandiu uolitauerit; hoc patientia Petri fecit; permiſit enim illum*

[d] *Serm. 67. de Natal Apoſt. Vel potius Maxim. Taur ſer. 5. in natal. Apoſt.*

illum ſublimius aſcendere, vt altiùs caderet: voluit eum in excelſum leuari in conſpectu omnium, ut ruentem illum de excelſo oculi omnium peruiderent. Hac igitur iniquitatis eſt elatio, ut in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat; ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, & vniuerſam deyicit vanitatem. Hucuſque S. Ambroſius.

Huic adſtipulantur liber de Romanis Pontificibus, inſcriptus nomine Damaſi, in Petro: S. Clemens Romanus.[e] Arnobius,[f] Cyprianus,[g] Epiphanius,[h] Euſebius,[i] Auguſtinus,[k] Seuerus,[l] Egeſippus iunior,[m] Theodoretus,[n] Metaphraſtes,[o] Nicephorus.[p] Cedrenus,[q] Gregorius Turonenſis,[r] & alij his poſteriores ferè innumeri: adeò vt de re quæ in confeſſo eſt apud omnes, nefas ſit ampliùs dubitare, cùm tam Latinorum quàm Græcorum teſtimonio lapſus Simonis confirmatus habeatur; nec curandum eſt, ſi in minimis quibusdam ab inuicem diſcrepent, cùm in re geſtâ omnes æquè conſentiant. Arnobij ſuprà citati verba hæc ſunt: *Viderunt* (Romani) *curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diſſlatas & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderunt, inquam, fidentem dijs falſis & ab yſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, & curibus iacuiſſe præfractis.*

e Conſt. lib. 6. cap 9.
f aduerſ Gent. lib 2.
g Catech 6.
h hæreſ 27
i hiſt. lib 2. cap 14.
k Contr Fulg. Donat. cap 23.
l Hiſt lib. 2.
m lib 3 cap 2.
n hær fab. lib. 1 cap. 1
o 29. Iunij.
p lib. 2 cap 26.
q In compend.
r Hiſt Franc. lib 1 cap 25.

CAP. XLVIII.

Petrus Neronis iuſſu comprehenditur. Item de carcere eius.

AT Nero, vir in tanto imperij culmine impudicitiâ ac ſceleribus omnibus inſignis, vbi prædicta comperit, dolens amici caſu, ereptumque ſibi virum Reip. vtilem ac neceſſarium moleſtè ferens, Petrum quemadmodum interficeret, cogitare cæpit. Cùm verò comprehendi eum iuſſiſſet, eâ re cognitâ, Chriſtiani omnes eum rogant, vt

cendo, quòd exire prohibentur. In hoc pars quæ ſub terrâ, Tullianum; ideò quòd additum à Tullio Rege; quod Syracuſis, ubi ſimili de causâ cuſtodiuntur, vocantur Latomiæ, & de Latomiâ translatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerunt. Hæc Varro.

Cur autem dictus ſit carcer ille Mamertinus, haud facilè erit aſſequi. Potuit namq; ſic dici à Mamerte, qui, vt docet Varro,[e] idem quod Mars ſignificat, & Mamertinus idem quod Martius, & à Mamerte Mamercus, & Mamerca familia: cùm alioqui reperiantur nonnulli Romanorum nobiliſſimi ex alijs familijs nomine Mamertini. Auctores, qui dictum carcerem exſtruxerunt, demonſtrat vetus inſcriptio in eius fronte poſita. *e loc. cit.*

C. VIBIVS C. F. M. COCCEIVS NERVA EX S. C. Creati ſunt hi Coſſ. anno 718. ab Vrbe conditâ. Imp. Augaño 7.

Carcer itaque Mamertinus S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli aliorumq; ſanctorum Martyrum vinculis conſecratus, ex quo deſiêre ſuperſtitioſæ Gentilitatis Imperatores, deſijt etiam eſſe criminoſorum ergaſtulum, ac mutatus eſt in eccleſiam.

Petri geſta in carcere.

In dicto carcere Proceſſum & Martinianum milites,[f] Apoſtolorum cuſtodes, & alios quadraginta ſeptem, qui poſteà ſub deuotiſſimâ fidei confeſſione, Neroniano gladio martyrium conſummârunt,[g] ad fidem Chriſtianã conuertit & baptizauit Petrus; erumpente diuinâ virtute ex petrâ fonte, ut eorumdem res geſtæ declarant.[h]

f Mart. Rom. 2. Iulij

g Mart Rom. 14. Mart.

h Surius tom. 4. 2. Iunij.

Admiratione res digna eſt, inquit Baronius,[i] eundem illic fontem in hanc uſque diem perſeuerare, non tantùm rerum ibi geſtarum memoriâ nobilem, ſed perenni illuſtrem miraculo: quippe poſitus in medio carceris ſtrati prægrandibus lapidibus Tiburtinis ſibi inuicem inhærentibus, è perforato ſaxo altitudine cubitali tantummodò, & palmi vnius

i Annal tom. 1. ad an. 68.

Fons Miraculoſus.

Digitized by Google

eos ducebant ita placuit, fortaſſis propter diuerſitatem ſupplicij, quo Apoſtoli afficiendi erant, nam ijdem inhabitauerant, cruci affigendus: D. Paulus verò, quòd ciuis Romanus eſſet, inter Chriſtianos capite plectendus erat) diuiſus, mutuâ priùs ſalutatione impartita per oſculum ſanctum, dum ad paſſionis locum rectà ducitur, comitantibus populorum turbis innumeris, ad portam Vrbis obuiam habet Plautillam matrem Domitillæ nobiliſſimam matronam, quam cùm flentem videret, ab ea velum poſtulat, quo feriendus gladio, ex more obduceret oculos: illa libenter parens, liberaliter tradit illud ipſum, vt erat pollicitus, poſteà receptura. Paulò pòſt tres milites ex his qui ex apparitura erant, nempe Longinum, Aceſtum, & Megiſtum, ad fidem Chriſti conuertit: quos in confeſſione Chriſtianæ religionis conſtantes, eiuſdem Neronis gladius, poſteà martyres fecit die ſecunda Iulij. Petrus à Paulo diuellitur.

Vbi verò ad locum ſupplicio deſtinatum Paulus venit, fuſis ad Deum precibus, alacri animo (quòd id diutiùs exoptaſſet) iugulum præbuit; propè portam Oſtienſem tertio ab vrbe lapide, vbi aliquando Chriſtianorum carnificina habita fuit; anno ætatis ſuæ ſexageſimo octauo. [b] Paulus gladio cæſus.

Cùm ictu carnificis truncaretur; non tam ſanguinis fluenta è ſectis venis, quàm lactis (res planè miranda) largiter fluxerunt. Vnde S. Ambroſius: [c] *De Pauli verò ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis unda quàm ſanguinis: & mirum in modum ſanctum Apoſtolum Baptiſmi gratiâ in ipsâ cæde extitiſſe ſplendidum potiùs quàm cruentum. Quæquidem res in S. Paulo ſtupenda non eſt. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ ſicut ipſe ad Corinthios ait: [d] Lac vobis potum dedi, non eſcam? Hæc eſt planè promiſſionis illa terra, quam*

[b] Chryſoſt. orat in Princ. Apoſt.
[c] Serm. 69.
[d] 1 Cor. 3 v. 2.

Digitized by Google

ra, quam Deus Patribus noſtris promiſit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terrâ locutus eſt, quæ dimanantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq́; permiſcet; ſed de illâ tum Pauli, tum ſimilium Pauli, quæ iugiter purum ſuaueq́; diſtillat. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior, & lacte candidior? quæ epiſtolæ tamquam ubera Eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutem. De ceruice ergò Apoſtoli pro ſanguine lac manauit. Hucusq; Ambroſius.

Petrus quomodo, & quo in loco crucifixus.

Petrus autem ſic à Paulo, vt diximus auulſus, ad ſupplicium crucis ſubeundum, in gratiam Iudæorum transmittitur in eam regionem, quam ipſi inhabitauerant, ſcilicet trans Tiberim. Ibi in illa ſummitate Ianiculi ſeu Vaticani montis, quæ imminebat Naumachiæ deorſum iuxta Tiberim poſitæ, [e] capite deorſum verſo, & in ſublime pedibus eleuatis (ſic enim mori cupiebat, aſſerens ſe indignum, *ut ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus*, inquit S. Hieronymus [f]) cruci affigitur, [g] tertio Kalendas Iulij: [h] anno ætatis ſuæ octogeſimo ſexto. [i]

Gaudeas Petre, inquit Chryſoſtomus: [k] *qui ligno crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinem rectâ quidem figurâ ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti; ſed magis inuerſo capite, veluti è terrâ ad cœlum iter parans; O clauos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſierunt?*

Hanc D. Petri humilitatem atq; conſtantiam D. Maximus attollit his verbis: *Hic Petrus, qui cùm ad crucem tanquam crucifixi diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non renuit, ſed æqualitatem crucis dominicæ declinauit, ut oſtenderet uniuerſis, admirandæ ſe humilitatis virtutem, nouiq́; myſterij diſciplinam & inter tormenta ſeruaſſe. Quàm ſecurus chariſſimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulſo timore mortis, moriendi ordinem tam acerba in paſſione quæſiuit.* ſed & Prudentius [l] his verſibus:

[e] *Baro tom 1. Annal*
[f] *Deſcript. Eccleſ in Petro. Item Theodoret de char. Euſeb. lib. 3. cap 2.*
[g] *Tertull. lib. d. praſcr & in Scorp. Epiphan hær. 27. Chryſ in ep. ad Rom ho 32. & in Gen cap. 47 hom 66. In Epiſt. ad Tim. 2. cap. 2. hom 5 Aug Ser de Sanct. 28 Ambr ſer. 67 de Nat. Apoſt. Max. in Nat Ap ſer. 1.*
[h] *Mart. Rom 29. Iunij.*
[i] *Bellarm li. 2. de Rom Pont cap 9.*
[k] *Homil in Princ. Apoſt.*

Prima Petrum rapuit ſententia; legibus Neronis
Pendere iuſſum præminente ligno.
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magiſtri:
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis;
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen,
Hoc mente maior, quò minor figurâ.

CAP. L.

Petri ſepulchrum quam glorioſum: etiam à Regibus religionis ergò inuiſitur. Petrus Romam contra hoſtes protegit, quod varijs exemplis illuſtratur.

CUm in cruce ſic affixus martyrium conſummaſſet Petrus, à Marcello presbytero [a] eius corpus de cruce depoſitum, & curatum fuit, aromatibusq; conditum magnificentiſſimè more regio, ne dum Iudæo: in ima verò Vaticani parte ſepulturæ traditum, apud quam Neronis horti erant, & circus cum obeliſco. [b] Erat porrò pars illa Vaticani etiam oliuis ferax & fonte irrigua, vt docet Prudentius: [c]

[a] *Act Lini.* Petrus à quo & vbi ſepultus.

[b] *Baron. tom. 1. Annal.*

[c] *Periſte. hym. 12.*

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Carens oliua, murmurans fluento:
Namq; ſupercilio ſaxi liquor ortus excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem.

Sic igitur glorioſiſſimo martyrio tam Petrus quàm Paulus vita functi ſunt; locaq; ipſa vbi eorum ſacra corpora ſepulta fuerunt, non quidem obſcura, ſed quod mirandum eſt, inter perſecutores abſq; iactura vel contumelia aliqua cla-

Digitized by Google

riſſima remanſerunt, eademq; velut nobiliſſima trophæa victoriæ, à Chriſtianis ſummo honore ſunt habita. Eos etiam conſueuiſſe ex remotioribus tam orientalis, quàm occidentalis orbis partibus Romam venire, vt veneranda Apoſtolorum ſepulchra inuiſerent, ac venerarentur, Acta complurium S S. Martyrum declarant.[d]

Sepulchra Apoſtolorum quàm venerabilia.

d Sur tom 1. 14 Febru & Rom. Mart. 19 Ian & 22. Nouembr.

Porrò tentaſſe orientales Chriſtianos hoc eodem anno ſubripere ſacra corpora Apoſtolorum, & in Orientem transferre, ac vti ſuos gentiles ſibi vendicare, Gregorius Papa ad Conſtantiam Auguſtam ſcribens, teſtatur his verbis;[e] *Eo tempore, quo paſſi ſunt, ex oriente venerunt, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent: quæ ducta usque ad ſecundum Vrbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt: ſed dum ea inde leuare omnis multitudo eorum conueniens niteretur: ita eos vis tonitrui atq; fulguris nimio metu terruit atque diſperſit, ut talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Hæc S. Gregorius.

e lib. 3. epiſt. 30

At reddita Eccleſiæ pace, Chriſtiani Imperatorres eadem inuiſere, venerari, & debito religionis obſequio colere, ſtudioſiùs quæſierunt, ac propenſiùs curauerunt. De his enim hæc Auguſtinus: *f Nunc*, inquit, *ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piſcatoris.* & alibi ſcribens ad Maduarenſes: *g Videtis & Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Et Chryſoſtomus[h] *Seruorum Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ Vrbem maximè regiam occupauerunt, & dies perſpicui ſunt: diem feſtum terrarum orbi facientes, non ædificiorum amplitudine & ſplendore (hac enim parte excellunt) ſed quod amplius eſt, conuenientium ſtudio.*

f de SS. ſer. 28.

g Epiſt. 42.

h In 2 ad. Corint. 1. hom. 26.

ſtudio. Nam & ipſe ille purpurâ indutus peregrè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu depoſito, contigit ſanctos, rogans ut ſibi apud Deum patrocinentur; & tabernaculorum opificem & Piſcatorem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema geſtans. Idem alibi:[i] *Relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris & Pellionis currunt & Reges, & præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliuntur, fiantq́; Piſcatorum oſtiarij Reges.* Idem[k] de Petri ſepulchro: *Quot Reges urbem euerterunt: portus exſtruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt: nec tamen eis quidquam profuit ſed ſilentio & obliuioni mandati ſunt: Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam poſt mortem reſplendet Sole clarius.* Rurſum alibi:[l] *Hoc corpus plebem hanc munit, quod quauis turri, innumeriſq́; manibus ac vallis eſt tutius: & cum ipſo corpus etiam beati Petri, &c.*

i Hom. quod Chriſtus ſit Deus.

k Hom in Pſa. 48

l In Epiſt ad Rom. hom 37.

Quàm autem hæc de protectione Vrbis ſint vera; cùm innumera ſint exempla, vnum modò ſatis habeatur beati Gregorij Romani Pontificis teſtimonium ex his, quæ experimento didicit; ſic enim ſcribit ad Ruſticianam Patriciam, rogans vt Romam veniret:[m] *Si gladios Italiæ & bella formidatis; ſolicitè debetis aſpicere, quanta beati Petri Apoſtolorum principis in hac Vrbe protectio eſt; in quâ ſine magnitudine populi, & ſine adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæſi Deo auctore ſeruamur.* Hæc Gregorius.

S. Petri corpore Roma munitur contra hoſtes.

m lib. 7. epiſt. 23.

Quomodò muri Vrbis Romæ cuſtodia S. Petro attribuatur, ex Procopio[n] audiamus: *Inter hanc portam*, nempe Flaminiam, *& alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia eſt quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata iam*

n De bello Go. lib. 1.

pridem

Digitized by Google

pridem compagine, ſeiuncta ſpectatur, non ſolum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtigium ſciſſa, nec ſanè collapſa, nec alias reſoluta. ſed utrinq; ſic inclinauit, ut cætero muro extrinſecùs partim prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc muri partem cùm demoliri tunc primùm Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cæpiſſet: obſtitere Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe, aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod utiq; Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem nec eo die quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus quo urbem obſederant barbari, hoſtilis vir ulla ad hunc locum peruenit, nec planè umquam eodem tumultuatum. Et ſanè me admiratio ſubit, nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tam diutinâ Vrbis obſidione in memoriam veniſſe muri hanc partem. Quæ res cùm miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt, ſed ad hunc diem ea è regione ſeiunctus permanet murus. hucusque Procopius. Cernitur vſq; hodie ipſe paries ab alio diuiſus, & quaſi iamiam caſurus deorſum inclinatus: a vt qui neſciat, timeat illac pertranſire. Extant & ibi proximè venerandæ imagines, indices veteris eiuſdẽ loci ſacri cultus.

Murus vrbis ſub S. Petri protectione.

a *Bar. tom. 7. Annal.*

CAP. LI.

Petri effigies, ſtatura, victus. Idem quamdiu Romæ ſederit.

QVod verò ad D. Petri corporis effigiem atq; ſtaturam attinet, eam Nicephorus his verbis deſcribit: a *Petrus quidem haud craſſâ corporis ſtaturâ fuit; ſed quæ aliquantò eſſet erectior, facie ſubpallidâ & albâ admodum: capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodùm prominentes fuère: oculi quaſi ſanguine reſperſi, nigri: ſupercilia propè euulſa: naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus ſimuſq; magis.*

a *lib. 2 cap. 37.*

D. Petri corporis ſtatura.

Digitized by Google

magis. Hæc Nicephorus. Scribit Euſebius,[b] ſe Petri & Pauli, & ipſius Saluatoris imagines antiquas vidiſſe. Affirmat & Auguſtinus,[c] effigiari conſueuiſſe Chriſti imaginem, hinc Petrum & Paulum pictos habentem.

b lib. 7. cap 14. *c de conſ. Eua. lib. 1. cap. 10.*

Petri nomine, inquit Hieronymus,[d] feruntur quinq; libri, quorum primus Actuum Petri inſcribitur: alius Petri Euangelium: tertius prædicationes Petri, quartus Apocalypſis, quintus liber iudicij: qui omnes inter apocryphas ſcripturas reputantur. Itenerarium verò D. Petri, ut apocryphum ſimiliter non recipit, quinimò repudiat ſancta Romana Eccleſia.[e]

d de ſcript. Eccleſ. in Petro. Petri nomine ſcripta apocrypha. *e c. ſancta Romana, diſt 15*

Scribit Onuphrius[f] D. Petrum Romæ quaſdam ordinationes feciſſe, quibus Epiſcopos ſex, presbyteros decem, & diaconos ſeptem creauit. Cibus eius panis ſolus cum oliuis, & raro cum oleribus erat. Indumentum autem tunica ſola cum pallio[g] Gregorius verò Nazianzenus[h] ſcribit, illũ lupinis minuto aſſe veneuntibus, famem pellere conſueuiſſe.

f de Rom Pont Petri victus. *g Clemens in libr Recogn. Petr. in catal. lib. 6. c. 22.* *h Orat. de amor. paup.*

Sedit autem Petrus Romanæ ſedis Epiſcopus annis viginti quatuor, menſibus quinq; & diebus vndecim, computando à ſecundo anno Claudij, Chriſti verò quadrageſimo quinto, die decimo octauo Ianuarij, vſq; ad vigeſimum nonum Iunij anni ſexageſimi noni, quo martyrio coronatus eſt.

Petrus quamdiu Romæ præſederit.

CAP. LII.

S. Petri Reliquiæ, quanto in honore ubique habitæ.

NVnc quædam de reliquijs S. Petri vt dicamus, ordo exigere videtur. De catenis ſuperiùs iam diximus,[a] Item de gladio, quem Bambergæ aſſeruari tradit, P. Chriſtophorus Veruchinus,[b] eum ex Conſtantinopoli illuc allatum credere poſſumus, nam in oratione de Vinculis S. Petri,[c] mentio habe-

S. Petri Reliquiæ. *a Cap 38.* *b Medit. 52.* *c Apud Sur. 1. Aug.*

Digitized by Google

eſſet deſpiciens; ſed pro eo quòd auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademq; horâ defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharit atque alij multi eius homines adeſſent, & is qui ſe percuſſerat ſeorſum mortuus, clauis verò hæc ſeorſum iaceret in terrâ: factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, ut eamdem clauem de terrâ leuare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationibus & eleemoſynis deditus (Minulphus nomine) vocatus eſt, atque ipſe hanc eleuauit de terrâ: Antharit verò pro eodem miraculo aliam auream clauem fecit, atque cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ prædeceſſorem meum tranſmiſit, indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Hucuſque S. Gregorius.

Petijt & ab Hormiſdâ Papâ Iuſtinianus V. C. poſteà verò Imperator, vt earundem catenarum limaturam ad ſe transmitteret. Extant de his Epiſtolæ manu ſcriptæ, quas R. Card. Baronius deſcripſit in Annalibus, vt ſcias non à temporibus Gregorij Papæ eiuſmodi conſuetudinem de mittendis hiſce ſacris muneribus ortum habuiſſe.

Huiuſmodi clauem auream habentem de ſacratiſſimis vinculis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli cum Cruce miſit Vitalianus Papa coniugi Oſuui Regis Anglorum anno 605. [e] *e Bar. Annal. 8.*

Gregorius quoque Papa II. [f] *claues venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis* Carolo Martello *deſtinauit anno 726.* *f App. ad Greg. Turo ca. 110.*

Iterùm Gregorius III. anno 740. *ſacras claues ex Confeſſione beati Petri Apoſtoli accipiens, direxit nauali itinere ad partes Franciæ*, eidem Carolo Martello, vt ſcribit Anaſtaſius.

Digitized by Google

ob numerũ duodecim Apoſtolorũ, duodecim cophinos terrâ plenos, ſuppoſitis humeris, baiulans aſportauit; & ita gaudens & exultans, in carrucâ ſuâ cũ Epiſcopo ſedens, ad Palatiũ rediÿt. De munificentiâ Cõſtantini erga Baſilicam beati Petri Apoſtoli in Vaticano erectam pluribus Acta, quæ diligenter in Annalibus retulit Cardinalis Baronius, inter quæ & hæc leguntur. *Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit baſilicam B. Petro Apoſtolo in templo Apollinis: cuius locum, cùm corpus S. Petri recondidit, undiq; ex ære Cyprio concluſit, quòd eſt immobile. Ad caput pedes quinque; ad latus dexterum pedes quinque, ſuprà pedes quinque; ſic concluſit corpus beati Petri Apoſtoli, & recondidit, & exornauit ſuper columnas porphyreticas, & alias columnas tres thyneas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem cameram baſilicæ ex crimma* † *auri fulgentem, & ſuper corpus beati Petri.* Sed & de Petri Apoſtoli ſepulturâ S. Gregorius [b] Papa in epiſtolâ ad Conſtantiam † Auguſtam tradit, ad quindecim pedes extra S. Petri ſepulchrum fuiſſe deſuper locum illum argento contectum, quòd cùm ipſius deceſſor mutare voluiſſet, apparente ſigno quodam, non paruo terrore abſterritum, ab huiuſmodi conſilio deſtitiſſe.

* crimno.
b Epiſt 30. l. 3.
* Conſtantinam.

Eandem baſilicam exornauit, & rogatu Sixti Papæ *Valentinianus Auguſtus fecit imaginem auream cum duodecim portis & Saluatorem, gemmis pretioſis ornatam, quam voti gratiâ ſuper Confeſſionem beati Petri Apoſtoli poſuit, & à tunc uſque hactenùs apud nos ab omnibus Fidelibus venerantur.* c

S. Petri Baſilicæ ornatus.

c Hadrian. ep. 3 c. 19. tom. 2. epiſt. Rom. Pont.

Iuſtinianus quoque V. C. pòſt Imperator *ſanctis Petro & Paulo templum exſtruxit iuxta regiam aulam, ab Hormiſda olim denominatum; ubi, priuſquam imperaret, domicilium fouebat,* vti teſtatur Procopius. d

d De ædif. Iuſtin. Imp lib. 1.

Cùm verò vbique terrarum, præſertim in Gallijs nomine Principum Apoſtolorum frequentiſſima & celeberri-

Baſilicæ Apoſtolorum in Galliâ.

ma erigerentur monumenta, ex ijs præcipuè carmine celebrauit Venantius Fortunatus baſilicam à S. Felice Namnetenſis Eccleſiæ Epiſcopo exſtructam, cùm eadem, collocatis in eâ eorumdem Principum Apoſtolorum ſacris pigneribus ab Vrbe acceptis, dedicaretur.[e]

[e] Fort. carm. lib. 3.

Siderei montes, ſpecioſa cacumina Sion,
A Libano gemini flore comante cedri.
Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus,
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.
Hunc per corda hominum reſecantur, & aſtra per illum:
Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cæli hic cum dogmate, clauibus alter:
Eſt via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic Petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo places ara Deo.
Vno fonte pares medicata fluenta rigentes,
Reſtinguunt auidam dulce liquore ſitim.
Fortia bella geret quiſquis cupit aſtra tenere,
Rex dedit hos proceres militis eſſe duces.
Gallia plaude libens: mittit tibi Roma ſalutem,
Fulgor Apoſtolicus viſitat Allobroges.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt:
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet. &c.

Extitit & alia Eccleſia à Triſarico in honorem Apoſtolorum eo in loco ædificata, vbi ſanctus Martinus ſe ſpolians veſtiuit egentem: de quâ extat eiuſdem Fortunati epigramma, ex quo hæc retuliſſe ſufficiat.[f]

[f] Fort. carm. lib. 2.

Hæc eſt aula Petri, cælos qui claue catenat,
Subſtitit & pelagi, quo gradiente, lacus.

Sedibus

Sedibus his habitat Paulus tuba Gentibus una:
Et qui prædo priùs, hic modo præco manet,&c.

De aliâ Eccleſiâ S. Petri Pariſijs in qua Synodus eſt habita anno 580. mentio eſt apud Gregorium Turonenſem. *g*

g Hiſt. Franc. lib. 5. cap. 18.

Porrò ſupra memoratam Eccleſiam Vaticanam S. Petri Romæ, præclarè exornauit Honorius Papa, qui obijt anno 638. de quo hæc Anaſtaſius: *Temporibus ſuis renouauit cymiliam vel ſupellectilem beati Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octoginta ſeptem. Inueſtiuit regias ianuas in ingreſſu eccleſiæ maiores, quæ appellantur Medianæ, ex argento penſante libras nongentas ſeptuaginta quinq. Fecit & ceroſtatos maiores ex argento pares duos, qui ſunt ante corpus beati Petri Apoſtoli, penſantes ſinguli libras ſexaginta duas. Fecit & ad beatum Andream Apoſtolum, ubi ſuprà ante Confeſſionem, tabulam ex argento, quæ penſat libras ſeptuaginta tres. Huius temporibus leuatæ ſunt trabes in Eccleſiâ beati Petri numero quindecim. Hic cooperuit eccleſiam omnem ex tegulis areis, quas leuauit de templo quod appellatur Roma ..... ex conſenſu pijſſimi Heraclij Imperatoris.*

Item de ornatu Baſilicæ S. Petri in Vaticano.

Eadem diligentia poſteà apparuit in Sergio Papa erga eandem baſilicam S. Petri, de quo idem Anaſtaſius: *Hic fecit imaginem B. Petri Apoſtoli, quæ eſt in parte mulierum. Hic fecit thymiamaterium aureum maius cum columnis & cooperculo, quod ſuſpendit ante imagines tres aureas beati Petri Apoſtoli, in quo incenſum & odor ſuauitatis feſtis diebus, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic poſuit in apſidem baſilicæ ſupraſcriptæ ſuper ſedem apollaream argenteam penſantem libras centum viginti: Hic fecit in baſilicâ ſupraſcripta pharos argenteos ſex penſantes ſingulos libras triginta, quæ ſunt ſuper trabes ad ingreſſum Confeſſionis.*

Hic

Hic fecit in circuitu altaris baſilicæ ſupraſcripta tetrauila octo, quatuor ex albis, & quatuor ex coccino. Hic tectum, & cubicula quæ circumquaque eiuſdem baſilicæ ſunt, quæ per longa tempora ſtillicidijs & ruderibus fuerant dirupta, ſtudioſiùs innouauit & reparauit. Hic muſiuum, quod ex parte in fronte atrij eiusdem baſilicæ fuerat dirutum innouauit. Similiter & ſpecula eiuſdem eccleſiæ, quæ ſuper ſedem ac regios arcus maiores ſunt, renouauit. Hic corpus B. Leonis probatiſſimi patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris ſecretarij prædictæ baſilicæ poſitum fuerat, facta diligentiùs tumba in denominata baſilica, publico loco (ut ſibi fuerat reuelatum) repoſuit, ac locum ipſum ornauit. Hic fecit patenam auream maiorem habentem gemmas ex albis & in medio ex hyacintho & ſmaragdo Crucem penſantem libras viginti.

Hadrianus exornat Confeſsionem S. Petri.

De Hadriano quoque Papa idem loquitur Anaſtaſius: *Hic egregiùs ſacerdos ob nimium amorem quo proſequebatur eumdem Apoſtolum, Confeſſionem beati Petri Apoſtoli totam intus ex auro puriſſimo in laminis, diuerſis hiſtorijs effigiatis comptè ornauit ponderis trecentarum librarum, ponens & in poſtem ſuperiorem eiuſdem ſacræ Confeſſionis auri mundiſſimi libras tredecim: pari modo & in ipſius Apoſtoli Confeſſionis liminari inferiori libras viginti quinque. Aſpectum verò altaris ſuper eamdem Confeſſionem atque dexteram, leuamq; partem iuxta gradus quibus hæret iam dictæ Confeſſioni, addens in eis argenti libras centum triginta ſex, curioſè renouauit, eiuſq; hiſtorias ex auro puriſſimo librarum decem & octo nitidiſſimè deaurauit: ſimulq; & cantharos in eadem dictæ Eccleſiæ Apoſtoli numero decem renouauit, addens in eis argenti libras centum. Ante ianuas argenteas fecit caniſtros argenteos duodecim penſantes libras triginta ſex. Simili modo & in turre caniſtros argenteos duodecim penſantes libras quadraginta quinque. In eadem quoque beati Petri Eccleſia per diuerſas coronas fecit delphinos ex argento penſantes libras centum.* Et paulò pòſt. *In Eccleſia beati*

Digitized by Google

beati Petri per diuerſa Oratoria fecit caniſtra argentea numero duodecim penſantia libras quadraginta, & rugas cum presbyterio à parte virorum ac mulierum ex argento puriſſimo penſantes libras quinquaginta & unam. Hæc de baſilicæ S. Petri ornatu. Porrò templum S. Petri Vaticanum nouum, veteris parte diſiectâ, Iulius II. Bramantis eximij architecti operâ, portentoſæ vaſtitatis inchoauit, quod ſequentes quidam Pontifices auxerunt, noſtris verò temporibus, Paulus V. Burgheſius Pontifex verè opt. verè Max. Porticu, Sacrario, Choro, & reliquo corpore Templi ex fundamentis extruens amplificauit. Paulus V. abſoluit & amplificauit ædificium Baſilicæ S. Petri.

CAP. LIIII.

S. Petri natalis quam celebris. Munera pretioſiſſima à uarijs S. Petro Romæ oblata.

QVanto in honore Sanctiſſimus Apoſtolorum Princeps vbiq; terrarum ſit habitus, non ſolum quæ dicta ſunt, probant, ſed & ea quæ adhuc dicentur manifeſta facient. Solennem fuiſſe conſuetudinem, ad natalem diem Apoſtolorum Romam, nullâ habitâ æſtiuorum calorum ratione religioſiſſimam celebritatem concurrendi, demonſtrat inter alios S. Paulinus, dum ait: [a] *Deinde nos ipſos Romæ, cùm ſolemni conſuetudine ad beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus, tam blandè, tàm honorificè accepit.* Sunt & de his aliæ antiquæ teſtificationes, vt inter alias illa nobilis Gallæ Placidiæ Auguſtæ ad Pulchetiam æquè Auguſtam [b] ſcribentis his verbis, cùm ſui Romani aduentûs rationem reddit: *Vt Romam frequentibus concurſionibus ad æquè deſideremus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectendæ religionis, vt terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam; quos certum eſt pro ſuâ virtute in cæleſtibus conſtitutos, neq; inferiora deſpicere. Nos itaq; ſacrilegium eſſe credimus, ſi*

Peregrinatio Romam ad diem feſtum S. Petri.

a Epiſt. 11.

b Extat tom. 6.

Digitized by Google

ſolennium ordinem denegemus. Hæc illa. Sed & Valentinianus Aug. ad Theodoſium Iuniorem Imp. [c] *Cùm adueniſſem,* inquit, *in urbem Romam ad diuinitatem placandam, ſequenti die ad baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi.* Et ad Seuerum idem qui ſuprà Paulinus: [d] *Romam ad venerabilem ſolennitatis Apoſtolicæ diem profecti ſumus.* Et inferiùs: *Reſcribendi tamen ex Vrbe facultas non fuit, ipſum tempus ante meridiem in votis noſtris, quorum curâ veneramus, per Apoſtolorum & Martyrum ſacras memorias conſumentes.*

c Extat in præ. Conc. Chalc.

d Epiſt. 13.

Sed & ipſis barbaris, præſertim Alarico, qui Romam cæpit, eandem baſilicam venerabilem fuiſſe, teſtantur Oroſius, [e] & Caſſiodorus. [f]

e lib. 7. c. 39.

f Var. lib. 12. epiſt. 20.

At hîc opportunè deſcribamus veterem Eccleſiæ morem ponendi vela vel ſudaria ſupra Apoſtoli Petri ſepulchrũ, vt ea reciperent benedictione locupletata: meminit eius Gregorius Turonenſis, qui de ipſa baſilica Vaticana iſta præmittit: [g] *Quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta ſex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centum, præter illas quæ Ciborium ſepulchri ſuſtentant. Hoc enim ſepulchrum ſub altari collocatum, valde † carum habetur. Sed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulchrum: & ſic fete ſtella paruula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantùm iuſta proferatur oratio. Quòd ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentanea* (nempe ſtatera) *penſatum iacit intrinſecùs: deinde vigilans ac ieiunans, deuotiſſimè deprecatur, ut deuotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu ſi fides hominis præualuerit, à tumulo palliolum eleuatum ita imbuitur diuinâ virtute, ut multò ampliùs quàm priùs penſauerat, ponderaret: & tunc ſcit qui leuauerit, cum eius gratiâ ſumpſiſſe quod petijt. Multi enim & claues aureas ad reſerandos*

g Mirac. lib. 1. cap. 28.

De Eccleſia & ſepulchro S. Petri.

† carum.

cancel.

cancellos beati ſepulchri faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur. Omnia enim fides integra præſtat. Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ candore niueo, quatuor numero, quæ Ciborium ſepulchri ſuſtinere dicuntur. Hactenùs ille.

Munera Baſilicæ S. Petri oblata.

Sed & de muneribus baſilicæ S. Petri oblatis miranda narrantur, è quibus pauca narrâſſe ſufficiat. *Sub huius* (Hormiſdæ) *Epiſcopatu* ſcribit Anaſtaſius, *multa vaſa aurea vel argentea venerunt de Græciâ, & Euangelia cum tabulis aureis & donis pretioſis penſantibus libras quindecim.: Patenæ argenteæ duæ penſantes ſingulæ libras vigintiquinque: Scyphus aureus cum gemmis penſans libras octo: Scyphi argentei deaurati penſantes ſinguli libras quinque:* † *Gabutha electrina penſantia libras duas: Thecæ cereæ aureæ penſantes libras ſex: Palliolum olophorum,* † *balatheum* † *cum tabulis auro textis de chlamyde vel ſtolâ Imperiali: Subcinctorium ſuper confeſſionem B. Petri Apoſtoli: hæc omnia à Iuſtino Orthodoxo votorum gratiâ oblata ſunt.*

* quindecim.
* oloſericum
* blateum.

Sed & quod mirandum fuit, etiam hoſtis Catholicæ fidei Rex Italiæ Theodoricus munus obtulit Rege dignum baſilicæ Vaticanæ; munus dixerim, non oblationem; ſolent enim oblationes tantummodò eſſe Fidelium Orthodoxorum, quæ ſolemni ritu in eccleſiam inferri conſueuerunt & recipi; munera verò, quæ nullâ habitâ diſtinctione donantis, in eccleſiam, tamquam in Gazophylacium inferrentur: Sed audi Anaſtaſium: *Eodem tempore Theodoricus Rex obtulit beato Petro Apoſtolo ceroſtiata argentea duo penſantia libras ſeptuaginta.* Subdit idem de Hormiſdâ Papâ: *Eodem tempore fecit Papa Hormiſda apud beatum Petrum Apoſtolum trabem, quam ex argento cooperuit penſantem libras mille quadringentas. Hic fecit in baſilicâ Conſtantiniana arcum argenteum ante altare, qui penſat libras viginti:*

Digitized by Google

Canthara argentea ſexdecim, quæ penſant ſingula libras duodecim. Item ad beatum Petrum fecit arcus argenteos duos penſantes ſingulos libras viginti, Canthara argentea ſexdecim penſantia ſingula libras quindecim, Arnas argenteas ſtationales ſex cum calicibus †*penſantes ſingulos libras ſex.*

* Crucibus.

Munera Iuſtiniani oblata S. Petro.

Munera quoque à Iuſtiniano Imp. oblata S. Petro recenſet idem Anaſtaſius: *His diebus obtulit Chriſtianiſſimus Imperator beato Petro Apoſtolo ſcyphum aureum circumdatum gemmis praſinis & albis, & alios calices argenteos duos, ſcyptrũ penſantẽ libras quinque, calices argenteos ſingulos penſantes libras ſex, & alios calices argenteos duos penſantes libras quindecim, palliola verò auro texta quatuor.*

b Miſcel. lib. 16.

Dona oblata S. Petro à Beliſario.

De muneribus à Beliſario S. Petro oblatis hæc in Miſcellâ leguntur: [b] *Beliſarius victor Romam venit, auream que crucem centum librarum, pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, beato Petro per manus Vigilij Papæ obtulit. De eadem cruce aureâ apud Anaſtaſium iſta leguntur: Obtulit beato Petro Apoſtolo per manus Vigilij Papa crucem auream cum gemmis penſantem libras centum, in quâ ſcripſit victorias ſuas; ceroſtrata argentea deaurata maxima duo, quæ ſunt uſque hodiè antè corpus beati Petri Apoſtoli; ſed & multa alia dona & eleemoſynas pauperum elargitus eſt.*

Pelagius Papa quoque, eodem ſæpedicto Anaſtaſio teſte, *veſtiuit corpus beati Petri Apoſtoli tabulis argenteis deauratis.* Confeſſionem videlicet, vbi corpus erat S. Petri, eo modo argento contexit.

i libr. de ſex. ætatibus.

Porrò Romam peregrinantes afferre ſecum conſueuiſſe munera offerenda S. Petro Apoſtolo, colligi poteſt ex V. Beda, dum inter cætera hæc ſcribit: [i] *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, Duces & priuati, diuini amoris inſtinctu de Britanniâ Romam venire conſueuerant,*

Digitized by Google

ſueuerant, inter quos etiam Reuerendiſſimus Abbas meus Ceolfridus annos natus ſeptuaginta quatuor, cùm eſſet presbyter annis quadraginta ſeptem, Abbas autem triginta quinque, ubi Lingonas peruenit, ibi defunctus, atque in Eccleſiâ beatorum geminorum martyrum ſepultus eſt. Qui inter alia dona quæ deferre diſpoſuerat, miſit Eccleſiæ S. Petri Pandecten à beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo vel Græco fonte tranſlatum. Hæc Beda.

Quanto amore S. Bonifacius magnus Germaniæ noſtræ Apoſtolus S. Petrum ſit proſequutus, vel inde colligi poteſt, quod etiam dicti Apoſtolorum Principis epiſtolas aureis literis ſibi deſcribi petierit, k vt nempè à quo accepiſſet ad Gentes Apoſtolatum, eius quoque litteras prædicandas in Gentibus auri nitore fulgidas, præ tanti Apoſtoli amore ac reuerentia ſecum haberet, quod immensè amantium eſt, ita affici erga eum quem cupit. Quanti enim fecerit culmen Apoſtolicum Petrum, etiam inde intelligitur, quòd primam omnium quam ibi inter Gentes erexit Eccleſiam, voluit Petri nomine atque memoria inſigniri: Petrus illi in ore ſemper, ſicut in mente, & in opere iugiter erat. De dicta Eccleſia hæc VVilibaldus in eius vita: *Sanctus autem Præſul, communicato cum fratribus conſilio, ex illâ ingenti vaſtæ arboris mole oratorium conſtruxit, in beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem illud dedicans.* Sic etiam S. Rupertus Boiorum Apoſtolus Salisburbi primum templum Deo & Apoſtolorum Principi Petro dicauit, aliiq; innumeri, quos conſultò prætermus, ne prolixitate Lectori faſtidium pariamus.

S. Bonifacii amor erga S. Petrum.

k *Epiſt. 31. ad Eadburg. Abbatiſ.*

Item S. Ruperti & aliorum.

CAP. LV.

S. Petrus variè apparens, à quibus viſus.

Digitized by Google

S. Petrus apparet Conſtātino Magno.
[a] Concil. Nicæn. 2 Act. 1 & tom. 2. epi. Decretal.

VEniamus nunç ad appatitiones S. Petri, in quibus principium ducemus ab eâ, in quâ una cum S. Paulo Conſtantino Magno Imp. apparuit, quam hiſce verbis refert Hadrianus Papa: [a] *Tranſactâ die, nocturno Regi facto ſilentio, ſomni tempus aduenit; & ecce adſunt ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus dicentes: Quoniam flagitijs tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti; miſſi ſumus à Chriſto IESV Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium.* &c.

[b] 31. Dec. Sur tom. 6
Item Siluestro Papæ.

Sed & Silueſtro apparuit S. Petrus, cùm Romæ peſtifer quidam Draco ſuo anhelitu multos occideret, & eam ob rem Silueſter Papa triduanum ieiunium & preces indixiſſet fidelibus, vti narrat Metaphraſtes: [b] *Iam autem peracto, quod præſtitutum fuerat ieiunio, Petrus ſummus Apoſtolorum huic ſanctiſſimo patri apparet in ſomnis, iubens ut ex Sacerdotibus & Diaconis ab eo aſſumerentur ij, quos vocabat nominatim, & cum illis veniret ad ingreſſum ſpeluncæ, & illic Deo incruentum offerret cultum: Deinde ſic ſubiret per os, qui ſunt in ipſa, gradus: dicensque ut alloqueretur draconem, qui dicebatur, & portas habebat in ore, præcepit ut clauem ferret manibus, & nomine Domini* IESV *Chriſti inuocato ad ſe portas traheret, & in adaptatos annulos clauem inijceret: & cùm clauſiſſet, diceret: Hæc dicit Apoſtolus Petrus: Hæ portæ non aperientur usque ad veſpere carentem & horribilem diem iudicij.*

[c] lib. 4. Dial. cap 13
Item S. Gallæ.

De viſione S. Gallæ viduæ in eius tranſitu oblatâ hæc S. Gregorius: [c] *Quæ dum nocte quâdam ex hac eâdem iaceret infirmitate fatigata, vidit beatum Petrum Apoſtolum inter utraque candelabra ante ſuum lectum conſtitiſſe: nec perterrita timuit, ſed ex amore ſumens audaciam, exultauit; eiq; dixit: Quid eſt, domine mi? dimiſſa ſunt mihi peccata mea? Cui ille, benigniſſimi (ut eſt) vultûs, inclinato capite, annuit, dicens: Dimiſſa: Sed quia*

quamdam

quamdam Sanctimonialem fœminam in eodem monaſterio præ cæteris diligebat: illicò Galla ſubiunxit: Rogo ut ſoror Benedicta mecum veniat. Cui ille reſpondit: Non, ſed illa talis veniat tecum: Hæc verò, quam petis, die te erit trigeſimo ſecutura. His ita expletis, viſio Apoſtoli aſſiſtentis & colloquentis ei ablata eſt.

De Leone Papâ, hæc apud Sophronium narrat Amos Patriarcha Hieroſolymitanus: [d] *Beatiſſimus & æqualis Angelis Leo Papa, qui Romanorum Eccleſiæ præfuit, quadraginta dies perſeuerauit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri, vigilijs & orationibus inſiſtens, petensq́ ab Apoſtolo, ut pro ſe apud Deum intercederet, ut dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletis diebus quadraginta, apparuit ei Apoſtolus Petrus dicens ei: Oraui pro te: & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quàm impoſitionis manuum. Hoc ſolùm abs te requiretur, ſiue benè ſiue fortaſsè, malè egeris.*

Ruſum S. Leoni Papæ.
d Prat. ſpirit. cap. 149.

Cùm S. Seruatius ad beati Apoſtoli Petri tumulum pro ſua gente ab Hunnis conſeruanda deprecaretur, apparuit ei beatus Petrus dicens: [e] *Quid me, vir ſanctiſſime, inquietas: Ecce enim apud Domini deliberationem prorsùs ſancitum eſt, Chunos in Gallias aduenire, eosq́ maxima tempeſtate debere depopulari. Nunc igitur ſume conſilium, accelera velociter, ordina domum tuam, ſepulturam compone; require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Chuni in Gallijs, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter.*

Iterum B. Seruatio.
e lib. 2 Hiſt. Franc cap 5. & 6.

Vrſinus etiam presbyter moriens vidit adſtantes Petrum & Paulum, uti teſtatur S. Gregorius. [f]

Vrſino Presbytero.

Dùm beatiſſimus Leo Papa [g] *ſcripſiſſet epiſtolam ad ſanctum Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, contra impios Eutychem, ac Neſtorium, poſuit eam ſuper tumulum Principis Apoſtolo-*

Apoſtolorum Petri, & orationibus ac vigilijs, & ieiunijs vacans, orauit ipſum ſummum Apoſtolum dicens: Si quid ut homo, vel minùs cautè poſui, vel etiam omiſi, tu, cui à Domino Deo Saluatore noſtro IESV *Chriſto, & ſedes hac & Eccleſia commiſſa eſt, emenda. Poſt quadraginta verò dies apparuit ei Apoſtolus oranti, & dixit ei: Legi, & emendaui; Sumensq́; epiſtolam de ſepulchro S. Petri, aperuit eam, & inuenit Apoſtolicâ manu emendatam.*

B. Petri Apoſtoli apparitio.

Aliam valdè mirandam S. Petri apparitionem Ealredus Abbas ſcriptor grauiſſimus, qui res geſtas S. Eduardi Regis Anglorum ſcriptis tradidit, eam poſteris probè teſtatam reliquit verbis iſtis: [h] *Tempore quo Rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantiâ, prædicante beato Auguſtino fidei ſacramenta ſuſceperat, nepos eius Sebertus (Saberethum hunc vocat Beda [i]) qui Orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Epiſcopo euangelizante ſuſcepit. Hic Londonijs, quæ regni ſui caput habebatur, intra muros eccleſiam beati Pauli fabricauit, & Epiſcopali honore, Mellitum Epiſcopum inſtituens, honorauit: extra muros verò in Occidentali parte in honore beati Petri monaſterium inſigne fundauit, & multis poſſeſſionibus ditauit. Nocte autem dedicationem eiuſdem eccleſiæ præcedente, piſcatori cuidam Thamenſis fluuij, qui idem monaſterium præterfluit, ulteriori ripâ in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promiſsâ mercede, tranſponi ſe ab eodem & petijt & promeruit. Egreſſus autem de nauiculâ, eccleſiam, piſcatore cernente ingreditur. Et ecce ſubitò lux cæleſtis emicuit, miroq́; ſplendore illuſtrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apoſtolo multitudo ciuium ſupernorum ingredientium, melodiaq́; cæleſtis inſonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus quæ ad eccleſiæ dedicationem ſpectant ſolemnijs, redit ad piſcatorem piſcium Piſcator egregius hominum. Quem dum diuini luminis fulgore perterritum & alienatum penè ſenſibus reperiſſet, blandâ conſolatione reddit hominem ſibi, animum rationi.*

h In Vit. S. Eduar. ap. Sur. 5. Ian.

i Hiſt. Angl. lib. 2 cap. 3.

Miraculum de conſecratâ eccleſiâ à S. Petro.

Ingredien-

Ingredientes cymbam ſimul vterq; piſcator, ait Petrus: Numquid pulmentarium non habes? Et ille; Inconſuetæ, inquit, lucis perfuſione ſtupidus, & expectatione tui detentus nihil capi, ſed promiſſam à te mercedem ſecurus exſpectaui. Ad hæc Apoſtolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piſcator, & mox impleuit rete piſcium maxima multitudo. Omnes erant eiuſdem generis piſces præter unum miræ enormitatis eſocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apoſtolus: Hunc, qui præ cæteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piſcem Epiſcopo: pro nautica verò mercede cætera tibi tolle. Huius generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore poſt te progenies tua: tantùm ne ultrà piſcari audeatis celebritate Dominica. Ego ſum Petrus qui loquor tecum, qui cum meis conciuibus conſtructam in meo nomine baſilicam dedicaui, Epiſcopalemq; benedictionem meæ ſanctificationis auctoritate praueni. Dic ergò Pontifici quæ vidiſti & audiſti; tuoq; ſermoni ſigna parietibus impreſſa teſtimonium perhibebunt. Superſedeat igitur dedicatione: ſuppleat quod omiſimus, Dominici corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria: populumq; ſermone erudiens, notificet omnibus, hunc locum me crebrò viſitaturum, hîc me fidelium votis & precibus adfuturum, ſobriè verò & piè & juſtè in hoc ſæculo viuentibus cæli januam reſeraturum. His dictis, confeſtim ab eius oculis diſparuit.

Manè autem facto, Epiſcopo Mellito ad dedicandam Eccleſiam procedenti, cum piſce piſcator occurrit, & omnia quæ ſibi mandata fuerant, pandit, ſtupet Antiſtes, reſeratiſq; Eccleſiæ valuis, videt pauimentum utriuſq; alphabeti inſcriptione ſignatum, parietem biſſenis in locis ſanctificationis oleo linitum, totidem carcerum reliquias duodenis Crucibus inhærere, & quaſi recenti aſperſione adhuc cuncta madeſcere. Quod videns Epiſcopus unà cum populo Deum benedicebat, & illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piſcatoris illius tota ſucceſſio, quæ ſicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro, eiuſq; ſeruientibus decimas offerebat.

Digitized by Google

ma erigerentur monumenta, ex iis præcipuè carmine celebrauit Venantius Fortunatus baſilicam à S. Felice Namnetenſis Eccleſiæ Epiſcopo exſtructam, cùm eadem, collocatis in eâ eorumdem Principum Apoſtolorum ſacris pignoribus ab Vrbe acceptis, dedicaretur.[e]

Siderei montes, ſpecioſa cacumina Sion,
A Libano gemini flore comante cedri.
Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus,
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.
Hunc per corda hominum reſecantur, & aſtra per illum:
Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cæli hic cum dogmate, clauibus alter:
Eſt via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic Petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Vno fonte pares medicata fluenta rigentes,
Reſtinguunt auidam dulce liquore ſitim.
Fortia bella geret quiſquis cupit aſtra tenere,
Rex dedit hos proceres militis eſſe duces.
Gallia plaude libens: mittit tibi Roma ſalutem,
Fulgor Apoſtolicus viſitat Allobroges.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt:
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet. &c.

Extitit & alia Eccleſia à Triſarico in honorem Apoſtolorum eo in loco ædificata, vbi ſanctus Martinus ſe ſpolians veſtiuit egentem: de quâ extat eiuſdem Fortunati epigramma, ex quo hæc retuliſſe ſufficiat.[f]

Hæc eſt aula Petri, cælos qui claue catenat,
Subſtitit & pelagi, quo gradiente, lacus.

e Fort. carm. lib. 3.

f Fort. carm. lib. 2.

Sedibus

Sedibus his habitat Paulus tuba Gentibus una:
Et qui prædo priùs, hic modo præco manet,&c.

De aliâ Eccleſiâ S. Petri Pariſijs in qua Synodus eſt habita anno 580. mentio eſt apud Gregorium Turonenſem.*g* *g Hiſt. Franc. lib. 5. cap. 18.*

Item de ornatu Baſilicæ S. Petri in Vaticano.

Porrò ſupra memoratam Eccleſiam Vaticanam S. Petri Romæ, præclarè exornauit Honorius Papa, qui obijt anno 638. de quo hæc Anaſtaſius: *Temporibus ſuis renouauit cymiliam vel ſupellectilem beati Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octoginta ſeptem. Inueſtiuit regias ianuas in ingreſſu eccleſiæ maiores, quæ appellantur Mediana, ex argento penſante libras nongentas ſeptuaginta quinq;. Fecit & ceroſtatos maiores ex argento pares duos, qui ſunt ante corpus beati Petri Apoſtoli, penſantes ſinguli libras ſexaginta duas. Fecit & ad beatum Andream Apoſtolum, ubi ſuprà ante Confeſſionem, tabulam ex argento, quæ penſat libras ſeptuaginta tres. Huius temporibus leuatæ ſunt trabes in Eccleſiâ beati Petri numero quindecim. Hic cooperuit eccleſiam omnem ex tegulis areis, quas leuauit de templo quod appellatur Romæ ..... ex conſenſu pijſſimi Heraclij Imperatoris.*

Eadem diligentia poſteà apparuit in Sergio Papa erga eandem baſilicam S. Petri, de quo idem Anaſtaſius: *Hic fecit imaginem B. Petri Apoſtoli, quæ eſt in parte mulierum. Hic fecit thymiamaterium aureum maius cum columnis & cooperculo, quod ſuſpendit ante imagines tres aureas beati Petri Apoſtoli, in quo incenſum & odor ſuauitatis feſtis diebus, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic poſuit in apſidem baſilicæ ſupraſcriptæ ſuper ſedem apollaream argenteam penſantem libras centum viginti: Hic fecit in baſilicâ ſuprascripta pharos argenteos ſex penſantes ſingulos libras triginta, quæ ſunt ſuper trabes ad ingreſſum Confeſſionis.*

Hic

Digitized by Google

Hic fecit in circuitu altaris baſilicæ ſuprascripta tetrauila octo, quatuor ex albis, & quatuor ex coccino. Hic tectum, & cubicula quæ circumquaque eiuſdem baſilicæ ſunt, quæ per longa tempora ſtillicidijs & ruderibus fuerant dirupta, ſtudioſiùs innouauit & reparauit. Hic muſiuum, quod ex parte in fronte atrij eiusdem baſilicæ fuerat dirutum innouauit. Similiter & ſpecula eiuſdem eccleſiæ, quæ ſuper ſedem ac regios arcus maiores ſunt, renouauit. Hic corpus B. Leonis probatiſſimi patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris ſecretarij prædictæ baſilicæ poſitum fuerat, facta diligentiùs tumba in denominata baſilica, publico loco (ut ſibi fuerat reuelatum) repoſuit, ac locum ipſum ornauit. Hic fecit patenam auream maiorem habentem gemmas ex albis & in medio ex hyacintho & ſmaragdo Crucem penſantem libras viginti.

Hadrianus exornat Confeſsionem S. Petri.

De Hadriano quoque Papa idem loquitur Anaſtaſius: *Hic egregius ſacerdos ob nimium amorem quo proſequebatur eumdem Apoſtolum, Confeſſionem beati Petri Apoſtoli totam intus ex auro puriſſimo in laminis, diuerſis hiſtorijs effigiatis comptè ornauit ponderis trecentarum librarum, ponens & in poſtem ſuperiorem eiuſdem ſacræ Confeſſionis auri mundiſſimi libras tredecim: pari modo & in ipſius Apoſtoli Confeſſionis liminari inferiori libras viginti quinque. Aſpectum verò altaris ſuper eamdem Confeſſionem atque dexteram, læuamq́; partem iuxta gradus quibus hæret iam dictæ Confeſſioni, addens in eis argenti libras centum triginta ſex curioſè renouauit, eiusq́; hiſtorias ex auro puriſſimo librarum decem & octo nitidiſſimè deaurauit: ſimulq́; & cantharos in eadem dicta Eccleſia Apoſtoli numero decem renouauit, addens in eis argenti libras centum. Ante ianuas argenteas fecit caniſtros argenteos duodecim penſantes libras triginta ſex. Simili modo & in turre caniſtros argenteos duodecim penſantes libras quadraginta quinque. In eadem quoque beati Petri Eccleſia per diuerſas coronas fecit delphinos ex argento penſantes libras centum.* Et paulò pòſt. *In Eccleſia beati*

Digitized by Google

beati Petri per diuerſa Oratoria fecit caniſtra argentea numero duodecim penſantia libras quadraginta, & rugas cum presbyterio à parte virorum ac mulierum ex argento puriſſimo penſantes libras quinquaginta & unam. Hæc de baſilicæ S. Petri ornatu. Porrò templum S. Petri Vaticanum nouum, veteris parte diſiectâ, Iulius II. Bramantis eximij architecti operâ, portentoſæ vaſtitatis inchoauit, quod ſequentes quidam Pontifices auxerunt, noſtris verò temporibus, Paulus V. Burgheſius Pontifex verè opt. verè Max. Porticu, Sacrario, Choro, & reliquo corpore Templi ex fundamentis extruens amplificauit.

Paulus V. abſoluit & amplificauit ædificium Baſilicæ S. Petri.

CAP. LIIII.

S. Petri natalis quam celebris. Munera pretioſiſſima à uarijs S. Petro Romæ oblata.

QVanto in honore Sanctiſſimus Apoſtolorum Princeps vbiq; terrarum ſit habitus, non ſolum quæ dicta ſunt, probant, ſed & ea quæ adhuc dicentur manifeſta facient. Solennem fuiſſe conſuetudinem, ad natalem diem Apoſtolorum Romam, nullâ habitâ æſtiuorum calorum ratione religioſiſſimam celebritatem concurrendi, demonſtrat inter alios S. Paulinus, dum ait: [a] *Deinde nos ipſos Romæ, cùm ſolemni conſuetudine ad beatorum Apoſtolorum natatem veniſſemus, tam blandè, tàm honorificè accepit.* Sunt & de his aliæ antiquæ teſtificationes, vt inter alias illa nobilis Gallæ Placidiæ Auguſtæ ad Pulchetiam æquè Auguſtam [b] ſcribentis his verbis, cùm ſui Romani aduentûs rationem reddit: *Vt Romam frequentibus concurſionibus ad æquè deſideremus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectendæ religionis, vt terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam; quos certum eſt pro ſuâ virtute in cæleſtibus conſtitutos, neq; inferiora deſpicere. Nos itaq; ſacrilegium eſſe credimus, ſi*

Peregrinatio Romam ad diem feſtum S. Petri.

a Epiſt. 18.

b Extat tom. 6.

ſolennium ordinem denegemus. Hæc illa. Sed & Valentinianus Aug. ad Theodoſium Iuniorem Imp.[c] *Cùm aduenissem,* inquit, *in urbem Romam ad diuinitatem placandam, ſequenti die ad baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi.* Et ad Seuerum idem qui ſuprà Paulinus:[d] *Romam ad venerabilem ſolennitatis Apoſtolicæ diem profecti ſumus.* Et inferiùs: *Reſcribendi tamen ex Vrbe facultas non fuit, ipſum tempus ante meridiem in votis noſtris, quorum curâ veneramus, per Apoſtolorum & Martyrum ſacras memorias conſumentes.*

c Extat in præ. Conc. Chalc.

d Epiſt. 13.

Sed & ipſis barbaris, præſertim Alarico, qui Romam cæpit, eandem baſilicam venerabilem fuiſſe, teſtantur Oroſius,[e] & Caſſiodorus.[f]

e lib. 7. c. 39.
f Var. lib. 12. epiſt. 20.

At hîc opportunè deſcribamus veterem Eccleſiæ morem ponendi vela vel ſudaria ſupra Apoſtoli Petri ſepulchrũ, vt ea reciperent benedictione locupletata: meminit eius Gregorius Turonenſis, qui de ipſa baſilica Vaticana iſta præmittit:[g] *Quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta ſex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centum, præter illas quæ Ciborium ſepulchri ſuſtentant. Hoc enim ſepulchrum ſub altari collocatum, valde* † *carum habetur. Sed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulchrum: & ſic fere ſtella paruula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantùm iuſta proferatur oratio. Quòd ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentanea* (nempe ſtatera) *penſatum iacit intrinſecùs: deinde vigilans ac ieiunans, deuotiſſimè deprecatur, ut deuotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu ſi fides hominis praualuerit, à tumulo palliolum eleuatum, ita imbuitur diuinâ virtute, ut multò ampliùs quàm priùs penſauerat, ponderaret: & tunc ſcit qui leuauerit, cum eius gratiâ ſumpſiſſe quod petijt. Multi enim & claues aureas ad reſerandos cancel-*

g Mirac. lib. 1. cap. 28.
De Eccleſia & ſepulchro S. Petri.
† rarum.

Digitized by Google

cancellos beati ſepulchri faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur. Omnia enim fides integra præſtat. Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ candore niueo, quatuor numero, quæ Ciborium ſepulchri ſuſtinere dicuntur. Hactenùs ille.

Sed & de muneribus baſilicæ S. Petri oblatis miranda narrantur, è quibus pauca narrâſſe ſufficiat. *Sub huius* (Hormiſdæ) *Epiſcopatu* ſcribit Anaſtaſius, *multa vaſa aurea vel argentea venerunt de Græciâ, & Euangelia cum tabulis aureis & donis pretioſis penſantibus libras quindecim.: Patenæ argenteæ duæ penſantes ſingulæ libras vigintiquinque: Scyphus aureus cum gemmis penſans libras octo: Scyphi argentei deaurati penſantes ſinguli libras quinque: † Gabutha electrina penſantia libras duas: Thecæ cereæ aureæ penſantes libras ſex: Palliolum olophorum, † balatheum †cum tabulis auro textis de chlamyde vel ſtolâ Imperiali: Subcinctorium ſuper confeſſionem B. Petri Apoſtoli: hæc omnia à Iuſtino Orthodoxo votorum gratiâ oblata ſunt.*

Munera Baſilicæ S. Petri oblata.

* quindecim.
* oloſericum
* blateum.

Sed & quod mirandum fuit, etiam hoſtis Catholicæ fidei Rex Italiæ Theodoricus munus obtulit Rege dignum baſilicæ Vaticanæ; munus dixerim, non oblationem; ſolent enim oblationes tantumodò eſſe Fidelium Orthodoxorum, quæ ſolemni ritu in eccleſiam interri conſueuerunt & recipi; munera verò, quæ nullâ habitâ diſtinctione donantis, in eccleſiam, tamquam in Gazophylacium interrentur: Sed audi Anaſtaſium: *Eodem tempore Theodoricus Rex obtulit beato Petro Apoſtolo ceroſtiata argentea duo penſantia libras ſeptuaginta.* Subdit idem de Hormiſdâ Papâ: *Eodem tempore fecit Papa Hormiſda apud beatum Petrum Apoſtolum trabem, quam ex argento cooperuit penſantem libras mille quadringentas. Hic fecit in baſilicâ Conſtantiniana arcum argenteum ante altare, qui penſat libras viginti;*

Digitized by Google

Canthara argentea ſexdecim, quæ penſant ſingula libras duodecim. Item ad beatum Petrum fecit arcus argenteos duos penſantes ſingulos libras viginti, Canthara argentea ſexdecim penſantia ſingula libras quindecim, Arnas argenteas ſtationales ſex cum calicibus † *penſantes ſingulos libras ſex.*

† Crucibus.

Munera Iuſtiniani oblata S. Petro.

Munera quoque à Iuſtiniano Imp. oblata S. Petro recenſet idem Anaſtaſius: *His diebus obtulit Chriſtianiſſimus Imperator beato Petro Apoſtolo ſcyphum aureum circumdatum gemmis praſinis & albis, & alios calices argenteos duos, ſcyptrũ penſantẽ libras quinque, calices argenteos ſingulos penſantes libras ſex, & alios calices argenteos duos penſantes libras quindecim, palliola verò auro texta quatuor.*

b Miſcel. lib. 16.

Dona oblata S. Petro à Beliſario.

De muneribus à Beliſario S. Petro oblatis hæc in Miſcellâ leguntur: [b] *Beliſarius victor Romam venit, auream que crucem centum librarum, pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, beato Petro per manus Vigilij Papæ obtulit. De eadem cruce aureâ apud Anaſtaſium iſta leguntur: Obtulit beato Petro Apoſtolo per manus Vigilij Papæ crucem auream cum gemmis penſantem libras centum, in quâ ſcripſit victorias ſuas; ceroſtrata argentea deaurata maxima duo, quæ ſunt uſque hodiè ante corpus beati Petri Apoſtoli; ſed & multa alia dona & eleemoſynas pauperum elargitus eſt.*

Pelagius Papa quoque, eodem ſæpedicto Anaſtaſio teſte, *veſtiuit corpus beati Petri Apoſtoli tabulis argenteis deauratis.* Confeſſionem videlicet, vbi corpus erat S. Petri, eo modo argento contexit.

i lib. de ſex. ætatibus.

Porrò Romam peregrinantes afferre ſecum conſueuiſſe munera offerenda S. Petro Apoſtolo, colligi poteſt ex V. Beda, dum inter cætera hæc ſcribit: [i] *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, Duces & priuati, diuini amoris inſtinctu de Britanniâ Romam venire conſueuerant,*

Digitized by Google

fuenerant, inter quos etiam Reuerendiſſimus Abbas meus Ceolfridus annos natus ſeptuaginta quatuor, cùm eſſet presbyter annis quadraginta ſeptem, Abbas autem triginta quinque, ubi Lingonas peruenit, ibi defunctus, atque in Eccleſiâ beatorum geminorum martyrum ſepultus eſt. Qui inter alia dona quæ deferre diſpoſuerat, miſit Eccleſiæ S. Petri Pandecten à beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo vel Græco fonte translatum. Hæc Beda.

Quanto amore S. Bonifacius magnus Germaniæ noſtræ Apoſtolus S. Petrum ſit proſequutus, vel inde colligi poteſt, quod etiam dicti Apoſtolorum Principis epiſtolas aureis literis ſibi deſcribi petierit, k vt nempè à quo accepiſſet ad Gentes Apoſtolatum, eius quoque litteras prædicandas in Gentibus auri nitore fulgidas, præ tanti Apoſtoli amore ac reuerentia ſecum haberet, quod immensè amantium eſt, ita affici erga eum quem cupit. Quanti enim fecerit culmen Apoſtolicum Petrum, etiam inde intelligitur, quòd primam omnium quam ibi inter Gentes erexit Eccleſiam, voluit Petri nomine atque memoria inſigniri: Petrus illi in ore ſemper, ſicut in mente, & in opere iugiter erat. De dicta Eccleſia hæc VVilibaldus in eius vita: *Sanctus autem Præſul, communicato cum fratribus conſilio, ex illâ ingenti vaſtæ arboris mole oratorium conſtruxit, in beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem illud dedicans.* Sic etiam S. Rupertus Boiorum Apoſtolus Saliſburbi primum templum Deo & Apoſtolorum Principi Petro dicauit, alijq; innumeri, quos conſultò prætermus, ne prolixitate Lectori faſtidium pariamus.

S. Bonifacii amor erga S. Petrum.

k *Epiſt. 31. ad Eadburg. Abbatiſ.*

Item S. Ruperti & aliorum.

CAP. LV.

S. Petrus variè apparens, à quibus viſus.

Digitized by Google

S. Petrus apparet Conſtantino Magno.
a Concil. Nicæn. 2. Act. 1. & tom. 2. epi. Decretal.

VEniamus nunc ad apparitiones S. Petri, in quibus principium ducemus ab eâ, in quâ una cum S. Paulo Conſtantino Magno Imp. apparuit, quam hiſce verbis refert Hadrianus Papa: [a] *Tranſactâ die, nocturno Regi facto ſilentio, ſomni tempus aduenit; & ecce adſunt ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus dicentes: Quoniam flagitÿs tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti; miſſi ſumus à Chriſto IESV Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium.* &c.

b 31. Dec. Sur. tom. 6
Item Siluestro Papæ.

Sed & Siluestro apparuit S. Petrus, cùm Romæ peſtifer quidam Draco ſuo anhelitu multos occideret, & eam ob rem Silueſter Papa triduanum ieiunium & preces indixiſſet fidelibus, vti narrat Metaphraſtes: [b] *Iam autem peracto, quod præſtitutum fuerat ieiunio, Petrus ſummus Apoſtolorum huic ſanctiſſimo patri apparet in ſomnis, iubens ut ex Sacerdotibus & Diaconis ab eo aſſumerentur ÿ, quos vocabat nominatim, & cum illis veniret ad ingreſſum ſpeluncæ, & illic Deo incruentum offerret cultum: Deinde ſic ſubiret per os, qui ſunt in ipſa, gradus: dicenſque ut alloqueretur draconem, qui dicebatur, & portas habebat in ore, præcepit ut clauem ferret manibus, & nomine Domini* IESV *Chriſti inuocato, ad ſe portas traheret, & in adaptatos annulos clauem inÿceret: & cùm clauſiſſet, diceret: Hæc dicit Apoſtolus Petrus: Hæ portæ non aperientur usque ad veſpere carentem & horribilem diem iudicÿ.*

c lib. 4. Dial. cap. 13
Item S. Gallæ.

De viſione S. Gallæ viduæ in eius tranſitu oblatâ hæc S. Gregorius: [c] *Quæ dum nocte quâdam ex hac eâdem iaceret infirmitate fatigata, vidit beatum Petrum Apoſtolum inter utraque candelabra ante ſuum lectum conſtitiſſe: nec perterrita timuit, ſed ex amore ſumens audaciam, exultauit; eiq; dixit: Quid eſt, domine mi? dimiſſa ſunt mihi peccata mea? Cui ille, benigniſſimi (ut eſt) vultûs, inclinato capite, annuit, dicens: Dimiſſa: Sed quia*

quamdam

quamdam Sanctimonialem fœminam in eodem monaſterio præ cæteris diligebat: illicò Galla ſubiunxit: Rogo ut ſoror Benedicta mecum veniat. Cui ille reſpondit: Non, ſed illa talis veniat tecum: Hæc verò, quam petis, die te erit trigeſimo ſecutura. His ita expletis, viſio Apoſtoli aſſiſtentis & colloquentis ei ablata eſt.

De Leone Papâ, hæc apud Sophronium narrat Amos Patriarcha Hieroſolymitanus: [d] *Beatiſſimus & æqualis Angelis Leo Papa qui Romanorum Eccleſiæ præfuit, quadraginta dies perſeuerauit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri, vigilijs & orationibus inſiſtens, petensq́; ab Apoſtolo, ut pro ſe apud Deum intercederet, ut dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletis diebus quadraginta, apparuit ei Apoſtolus Petrus dicens ei: Oraui pro te: & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quàm impoſitionis manuum. Hoc ſolùm abs te requiretur, ſiue benè ſiue fortaſsè malè egeris.* Rurſum S. Leoni Papæ. *d Prat. ſpirit. cap. 149.*

Cùm S. Seruatius ad beati Apoſtoli Petri tumulum pro ſua gente ab Hunnis conſeruanda deprecaretur, apparuit ei beatus Petrus dicens: [e] *Quid me, vir ſanctiſſime, inquietas: Ecce enim apud Domini deliberationem prorsùs ſancitum eſt, Chunos in Gallias aduenire, eosq́; maxima tempeſtate debere depopulari. Nunc igitur ſume conſilium, accelera velociter, ordina domum tuam, ſepulturam compone; require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi ſunt Chuni in Gallijs, ſicut locutus eſt Dominus Deus noſter.* Iterum B. Seruatio. *e lib. 2 Hiſt. Franc cap 5. & 6.*

Vrſinus etiam presbyter moriens vidit adſtantes Petrum & Paulum, uti teſtatur S. Gregorius.[f] Vrſino Presbytero.

Dùm beatiſſimus Leo Papa [g] *ſcripſiſſet epiſtolam ad ſanctum Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, contra impios Eutychem, ac Neſtorium, poſuit eam ſuper tumulum Principis Apoſtolo-*

Ingredientes cymbam ſimul vterq́ue piſcator, ait Petrus: Numquid pulmentarium non habes? Et ille; Inconſueta, inquit, lucis perfuſione ſtupidus, & expectatione tui detentus nihil capi, ſed promiſſam à te mercedem ſecurus exſpectaui. Ad hæc Apoſtolus ait: Laxa nunc retia in capturam Paruit imperanti piſcator, & mox impleuit rete piſcium maxima multitudo. Omnes erant eiuſdem generis piſces præter unum miræ enormitatis eſocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apoſtolus: Hunc, qui præ cæteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piſcem Epiſcopo: pro nautica verò mercede cætera tibi tolle. Huius generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore poſt te progenies tua: tantùm ne ultrà piſcari audeatis celebritate Dominica. Ego ſum Petrus qui loquor tecum, qui cum meis conciuibus conſtructam in meo nomine baſilicam dedicaui, Epiſcopalemq́ue benedictionem meæ ſanctificationis auctoritate præueni. Dic ergò Pontifici quæ vidiſti & audiſti; tuoq́ue ſermoni ſigna parietibus impreſſa teſtimonium perhibebunt. Superſedeat igitur dedicatione: ſuppleat quod omiſimus, Dominici corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria: populumq́ue ſermone erudiens, notificet omnibus, hunc locum me crebrò viſitaturum, hîc me fidelium votis & precibus adfuturum, ſobriè verò & piè & juſtè in hoc ſæculo viuentibus cæli ianuam reſeraturum. His dictis, confeſtim ab eius oculis diſparuit.

Manè autem facto, Epiſcopo Mellito ad dedicandam Eccleſiam procedenti, cum piſce piſcator occurrit, & omnia quæ ſibi mandata fuerant, pandit, ſtupet Antiſtes, reſeratiſq́ue Eccleſiæ valuis, videt pauimentum utriusq́ue alphabeti inſcriptione ſignatum, parietem biſſenis in locis ſanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis Crucibus inhærere, & quaſi recenti aſperſione adhuc cuncta madeſcere. Quod videns Epiſcopus unà cum populo Deum benedicebat, & illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piſcatoris illius tota ſucceſſio, quæ ſicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro, eiſq́ue ſeruientibus decimas offerebat.

Digitized by Google

SS. Apoſtoli Petrus & Paulus tempore peſtis in Angliâ apparuerint, & diuinum nuntium de ſalute Monachorũ ibidem retulerint, pluribus narrat noſter Venerabilis Beda,[o] & ex eo Cardinalis Baronius[p].

[o] *li. 4. cap 14.*

[p] *Annal. to. 2.*

Cùm Alphonſus Hiſpaniarum Rex à fratre Sancio regno priuatus in carcere detineretur, [q] *illi beatus Hugo Abbas Cluniacenſis compatiens pro eo apud Dominum precibus inſtabat; & Apoſtoli Petri confidens meritis, à Domino eum abſolui poſcebat. Nec mora beatus Petrus Apoſtolus cuidam Fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Adefonſi ereptione, Deum admiſiſſe reuelauit. Fecit etiam Adefonſo illud in carcere nuntiari. Porrò Sancio in ſomnis ſub graui comminatione præcepit, ut citò Adefonſum reſtitueret, nec differre auſus eſſet Sancius terrore correptus, Adefonſum ſtatim reſtituit. Reſtitutus ille, Deo, & liberatori ſuo gratias egit, cenſumq́, quem frater ſuus Ferdinandus quotannis Cluniacenſi monaſterio ſoluendum inſtituit, ipſe duplicauit, ducentas & quadraginta auri uncias annuatim reddens.*

[q] *In Vita S. Hugonis apud Sur. tom. 2.*

S. Petrus apparet Monacho Cluniacenſi.

Tempore quo Roma maximis aduerſitatibus quatiebatur, & ipſo die Apoſtolorum Eccleſia S. Petri diuinis officijs careret, [r] *peregrini quidam, dum orationis gratia ad beatum Benedicti monaſterium pergerent obuium habuerunt canonicum ſenem. Percontantibus, quis eſſet Petrum Apoſtolum ſe eſſe reſpondit. Sciſcitantibus, quo pergeret: Ad fratrem, inquit, Benedictum proficiſcor, ut cum illo paſſionis meæ celebrem diem. Romæ quippe conſiſtere nequeo quia Eccleſia mea diuerſis procellis agitatur. Quod dum Fratribus viri illi poſtmodum reſeraſſent: ad ſuccedentium memoriam conſtituerunt, eiuſdem Apoſtoli ſolemnitatem non minori veneratione quam patris Benedicti celebrandam.*

[r] *Leo Oſtienſ. lib. 3. cap 67. 68.*

Item peregrinis.

S. Arnulpho Sueſſionis Epiſcopo ante obitum apparuit S. Petrus, *ſignificans* illi *peccata remiſſa, & vitæ*

Rurſum S. Arnulpho.

ianuam patere, vt eſt aqud Surium in eius vitâ. [r]

[r] *Tom 4. die 15. Auguſti.*

Quomodo idem B. Ignatio Societatis Iesv parenti apparuerit, eiq; ſanitatem attulerit, hiſce narrat Maffeius. [s] *Cùm iam Ignatius omnes ferè cibos hauſtusq; ſtomacho faſtidiente reſpueret, aliaq; in eo cernerentur lethalia ſigna; ſuorum admonitu, ſacris, quæ ad expiandum animum pertinent, rite procuratis, ipſo B. Petri Apoſtoli peruigilio, cunctis mærentibus, eò deductus eſt, ut medici prorſus actum affirmarent, niſi ante mediam eam noctem vis morbi remitteret. Venerabatur iam dudum Ignatius præcipuo quodam cultu principem Apoſtolorum: quin etiam eius laudes militariter olim carmine Hiſpanico celebrauerat: cuius profectò pietatis fructum non exiguum tulit. Siquidem illa ipſa decretoria nocte per quietem videre ſibi viſus eſt eundem Apoſtolum, optatam ſibi valetudinem diuinitùs afferentem, nec ſanè in irritum ea viſio recidit: quippe continuò leuari doloribus, ciboq; refici eſt cæptus.*

[s] *In Vitâ lib. 1. c. 12.*

S. Petrus apparet B. Ignatio.

CAP. LVI.

S. Petri non nulla adhuc miracula deſcribuntur.

Leoni 3. lingua & oculi reſtituuntur meritis S. Petri.

NVnc præter ſupradicta, miracula quædam alia, ad S. Petri interceſſionem patrata referemus. Quomodo Leoni Papæ III. lingua ipſi à malignis quibusdam præciſa, & oculi euulſi, beato Petro ſuffragante reſtituti fuerint, pluribus ex Anaſtaſio refert Card. Baronius. [a] Idem S. Agathæ in carcere detentæ apparens, & ſe medicum ſimulans mamillas à tortoribus abſciſſas, miraculosè reſtituit. [b]

[a] *Annal tom. 9 an 799.*

S. Agathæ mamillæ.

[b] *Metaph. apud Sur tom 1. 5 Febr.*

Anno à redemptione mundi nongenteſimo nonageſimo tertio, cùm admirandæ flammarum eruptiones è monte Veſuuio contigiſſent: [c] crebra quoq; per diuerſas prouincias ciuitatum incendia, prodigioſaq; contigere: Cum & Romana conflagrante Vrbe, Baſilica Vaticana incendi cæpta, diuinitus

[c] *Ex Glabro Rodul. Baron. tom. 10.*

Digitized by Google

nitus eſt liberata. Sed audi Glabrum ipſum huius temporis ſcriptorem: *Contigit,*inquit,*intereà panè uniuerſas Italiæ & Galliæ ciuitates ignium incendijs deuaſtari, ipſamq; urbem Romanam maximâ ex parte igne cremari, quod dum fieret beati Petri Eccleſiæ tigna idem ignis arripuit: capitiq; ſub areo tabulatu conſumendo lambere ligna: quod cernens uniuerſa hominum multitudo quæ aderat, nullam omnino compeſcendæ cladis artem reperiens, conuerſi unanimes voce clamantes terribili, ad ipſius Apoſtolorum Principis concurrere confeſsionem, eum imprecantes, ſi non pervigil propriæ foret ad præſens defenſor eccleſiæ, multos in orbe terrarum à ſua fidei profeſſione decedere. Statim verò vorax flamma abiegnas deſerens trabes diſparuit.*

Incendium ope D. Petri extinctum.

Cùm aliquando graui morbo oppreſſus eſſet S. Bertolfus Abbas, ita vt morte præueniri crederetur, [d] *beatus Apoſtolorum princeps Petrus aduenit, ac ſuper ſtratum ægri patris aſtans: Surge,inquit, & ſoſpes cum conuiatoribus tuis abſcede. Inquirente autem beato patre,quis eſſet,qui ſibi talia iuberet,ille reſpondit: Ego ſum Petrus cuius hodie die clara in toto orbe celebrantur ſolemnia. Et hæc dicens abſceſſit.*

d Ionas Al. in Vit. S. Bertolfi.

A S. Petro curatus S. Bertolfus.

Quomodo S. Petrus viſibilis apparens liberarit ciuitatem Alexandriam ab obſidione Friderici Imp. prolixè enarrat Cardinalis Baronius, [e] ex actis Alexandri Papæ III. *Tunc ciues ſubitò conuolarunt ad arma, & tamquam leones irruerunt in hoſtes, quos cum beato Petro, quem ante ſe in equo albo coruſcantibus armis præire cernebat, proſtrauerunt in terram, & in gladio compulerunt omnes, ut mortem euaderent, exire ſuper aggeres, ex quibus præcipitabantur inuiti.*

e Tom. 12 Annal. an. 1155.

S. Petrus viſibilis apparens liberat Alexandriam.

Tempore Leonis IV. anno ſalutis 846. Saraceni nauibus euecti circa littora Tuſciæ maxima damna intulêre, quibuſdam ciuitatibus. Deinde Romano portui applicantes, ſpe potiundæ vrbis Romam tendebant, ſed Romani vr-

Ioan. Nauel. Vol. 2. Chronogr. Gener. 2. ad an. 846.

bem muniunt. Quare fiduciâ obtinendæ vrbis depoſitâ, cuncta quæ extra ciuitatem erant, diripiunt: eccleſias ſpoliant & incendunt: eccleſia S. Petri vaſtatur, & altari ſacro prophanato, quæ ad ornatum eccleſiæ erant, abradunt: atq; onuſti ſpolijs abeunt. Neapolitanos inuadunt, & cæteros illius oræ maritimæ. Leo ſtatim cum Ludouici Auguſti auxilijs Oſtiam proficiſcitur cum hoſtibus dimicaturus, ſuos ſanctiſſimus Pontifex ad communionem adhortatur; orationem deinde ad Deum his verbis habuit: *Deus, cuius dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis, horum fidelium tuorum brachia contra inimicos Eccleſiæ tuæ ſanctæ dimicantia omnipotenti dextera tua corroborentur ut de recepto triumpho nomen ſanctum tuum in cunctis gentibus glorioſum appareat.* His dictis, ſtatim facto ſigno Crucis, pugnandi copiam fecit: qui ita pugnam inierunt, ac ſi victoriã certò ſibi promiſſam haberẽt. Tandẽ poſt longũ & acre certamen hoſtes ſuperantur fuganturq;. Multi in ipſo prælio periere, pleriq; viui capti ſunt & Romam perducti.

Victoriæ contra hoſtes obtentæ meritis S. Petri.

Rurſum anno Dominicæ Incarnationis 915. Græcis Latiniſq; quotidie confligantibus, Deo miſerante, Pænorum ne vnus quidem ſuperfuit (ita vocati Saraceni, qui ex Africâ venerunt) qui non aut gladio trucidaretur aut viuus continuò caperetur. Viſi ſunt autem à religioſis fidelibus in eodem bello ſanctiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus, quorum precibus credimus Chriſtianos meruiſſe, quatenus Pænos fugarent, & ipſi victoriam obtinerent.

Luitprand. li. 2. cap 14. Bar. tom. 10 Boz. de ſig. Eccleſ. lib. 17 cap. 7.

Gregorius IX. cum ab Imp. Friderico in vrbe obſideretur, excipiens capita Apoſtolorum, & proceſſionem à Laterano uſq; ad S. Petrum faciens, animos Romanorum ſic reuocauit, ut penè omnes contra Imp. cruce ſignarentur. Quod

Mart Pol lib. 4. an 1232.

Imp.

Imp. qui iam credebat ſe intraturum Vrbem, audiens, timens longè ab Vrbe retroceſſit.

CAP. LVII.

Regna & Prouinciæ S. Petro donata, & Romanæ Eccleſiæ vectigalia.

SEd & integra Regna S. Petro, ac proindè Romanæ ſunt donata Eccleſiæ; ac inprimis Ruthenorum, quod à Sede Romanâ Ruſſorum Rex Demetrius voluit accepiſſe, vt habetur in Epiſtolâ Gregorij Papæ ſeptimi. [a]

S. Petri eſt regnum Ruthenorum.

[a] Lib. 2. epiſt. 74. & Ba. Annal. tom. 7.

Quomodo Ina Rex Anglorum antequam regno ſe abdicaret, voluerit illud Eccleſiæ Romanæ vectigal iure perpetuo conſtituere, vt domus ſingulæ, ſingulos denarios annuatim S. Petro penderent; ſic deuincere populum ſuum ſtudens, vt annui cenſus penſitatione cognoſceret ſe ſubditum S. Petro, cuius & fidem firmam, illibatamq; iugiter conſeruaret; quem & ſcientes omnes Dominum eſſe ſuum, propenſiori ſtudio colerent, & in opportunitatibus inuocarent, hæc Polydorus Virgilius ſcribit: [b] *Officia autem eiuſdem Regis pietatis plena infinita produntur, & illud inprimis, quòd regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecerit, ſingulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domus impoſitis. Fecit autem idem, eius exemplo (ut opinor) ductus, Offa Merciorum Rex, qui non multum poſt tempus regnauit. Fuit is annus ſalutis circiter ſeptingenteſimus quadrageſimus. Hoc vectigal, prout quidam ſcribunt, auxit poſt hac Ethelunolphus ſeu Atulphus Rex, qui ut proximo libro demonſtrabitur, totius ferè inſulæ imperiũ obtinuit.* Idem de ſuo tempore, iſta ſubijcit: *Omnis Anglia hoc tempore iſtud vectigal, pietatis & Religionis causâ Romano Pontifici pendit domeſticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur à vulgo Denarij diui Petri, quos Pontificius*

Item Anglorum.

[b] ad Henricum octauum an. 1533.

Anglia tributaria S. Petro.

Queſter

Quæſtor, quem non inſcienter Collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæſturam aliquot per annos geſſimus, eiuſq; muneris obeundi cauſâ primùm in Angliam venimus.

Franci filij S. Petri

Peculiares etiam filios S. Petri Francos vocat Stephanus Papa in epiſtolâ ad Pipinum & filios eius ſcriptâ ſuo & ipſius etiam S. Petri nomine.[c]

c Baron. Annal tom. 9. ex Anaſt an. 755.

Polonia tributaria.

Sed & ab exordio conuerſionis Polonorum gentis pietatis ergo promiſſus eſt annis ſingulis cenſus perſolui Principi Apoſtolorum; vt patet ex epiſtola[d] Gregorij VII. ad Vratiſlaum Bohemiæ Ducem.

d lib. 2 epiſt 7.

Item Bamberga, ſed liberata.

Henricus etiam Imperator Bambergam S. Petro ſub annuo cenſu obtulit: quam vt liberaret Henricus Iunior, vice Bambergæ tradidit Eccleſiæ Romanæ Beneuentum tempore Leonis Noni.[e] De alijs Regnis, prouincijs & Rebuspublicis legendus Card. Bar. præſertim Tomo vndecimo.

e Leo Oſtienſ. lib 2 cap. 47.

Et alia plura regna.

CAP. LVIII.

Diuinæ ultiones contra eos, qui S. Petro iniurij fuerunt.

Ex Ioan Curopalata, Bar. tom 10. ſub an. Do. 867.

NOn aliam ob cauſam, quam ob iniurias in ſedem Apoſtolicam illatas, ſucceſſoremq; principis Apoſtolorum Petri, meruerunt Bardas atq; Michaël Imperatores diuinitùs miſſam, eamq; duriſſimam ſubire vindictam: quod haud obſcuris fuit manifeſtum indicijs, nec alicui alteri, quam ipſi Bardæ, ne reuocari poſſet in dubium, quod de ſe ipſe, & contra ſeipſum confeſſus eſſet. Audi igitur ex multis teſtibus hiſtoricis Græcis, eorum antiquiorem Ioannem Curopalatem: *Signa,* inquit, *primùm, Bardæ interitum portendentia hæc fuere, crinitarum ſtellarum exortus, ſomniorum portentoſa viſio. Siquidem ſibi viſus eſt in ſomnis iſte ad magnum templum cum Michaele Impera-*

Digitized by Google

Imperatore accedere: quaſi panegyris celebraretur. Vt igitur eò peruenere, & intra ſacrum templum proceſſere, exiſtimabat ſe videre quoſdam albis veſtibus indutos, praeeuntes, qui ipſum ducebant ad cancellos altaris, nihilque aliud conſpexit, quam in throno Patriarcha ſedentem quendam ſenem, quem Petrum eſſe arbitratus eſt Principem Apoſtolorum, ad cuius pedes, abiectus beatus Ignatius volutabatur malorum, quæ ſuſtinuerat, ultionem inquirens: illum verò uni eorum qui aderant, gladium dediſſe, dixiſſeq; hoc: Deo inuiſum (ita Bardam Cæſarem appellantem) in ſiniſtro loco conſtitutum fruſtratim concide, impiumq; filium (hoc nomine Michaelem Imperatorem indicantem) numera in iis, qui ſunt in dextera parte, ſed ſimile ſupplicium ſume: & ſomnium ita ſe habuit. Itaque non ita multo poſt homines gladiis ſtrictis in ſe confertim inuadentes Bardas conſpicatus, ſibi moriendum ſenſit, ſeq; ad Baſilii, qui mox Imperator fuit, pedes abiecit. Verum ipſum inde abſtractum fruſtratim conciduut: deinde genitalia ipſius membra haſtæ appenſa per exercitum traducunt. Ingens autem turba concitata eſt, quæ Imperatori periculum intentaret. Quam quidem vigilantiſſimus præfectus Conſtantinus, cum multis in medium confeſtim accurrens ſedauit, cùm laudibus Imperatorem celebrans iuſtâ nece occiſum Bardam pronuntiaſſet. Atq; ita Bardas periit.

S. Petrum Apoſt. vltorem experiuntur Principes ſchimatici.

Bardæ Cæſaris miſerandus interitus.

De dirâ S. Petri in Papam vendentem balſamum pro ſuâ lampade deſtinatum vltione, hæc habet noſter B. Petrus Damianus: *a Quod mihi à ſenioribus intimatum eſt refero. In Babyloniæ partibus poſſeſſionem Apoſtolica ſedes habebat, unde tantum balſami redditum per ſingulos annos capiebat, quod indeficiente fomite ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati Apoſtolorum Principis rutilabat appenſa: quam poſſeſſionem accepta pecunia, Papa diſtraxit, canonemq; aromotus, quem accipere ſolebat, amiſit. Aliquanto poſt cùm idem Papa prædicto ſancto altari quaſi deuotus aſſiſteret, & oraret, ecce quidam terribilis & grandæuus ſenex in*

Epiſt. ad Cad. Pſeudopap. e lectum Barom. tom. II.

nex in cuius etiam facie barbiraſium videbatur, elato brachio colaphum ipſi vehementer incuſſit, & ait: Tu extinxiſti lucernam meam ante me: & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum: moxq; diſparuit. Ille verò protinus corruit & paulo poſt diem clauſit extremum. Sic, ſic nimirum meretur corripi, qui illi ſe præbet aduerſum, qui cæli terraq; primus paſtor obtinet principatum.

CAP. LIX.

Calumnia Hæreticorum in S. Petrum.

FInire cogitabam hoc Syntagma, attamen coronidem addere non patiuntur Centuriatores Magdeburgenſes. [a] Vt enim eius gloriam & principatum obſcurent, quindecim grauiſſimis, vt credi volunt, eum criminibus deformant. Sed vnâ exceptâ negatione, cætera vel omni penitus culpâ vacant, vel ſaltem magnâ.

a Cent 1 lib. 2 cap. 10.

Septenæ hæreticorum in S. Petrum calumniæ.

Præcipua ſeptem afferam, vt ex horum leuitate, cæterorum pondus æſtimetur. Primum negatio; [b] quæ grauiſſima conceditur. Secundum, quòd ſuper aquas ambulare petierit. [c] Quâ in re ſi peccaſſet, eius peccato Chriſtus ſeruiuiſſet, qui, vt illud faceret, miraculo conceſſit. Tertium, quòd Domino de paſſione loquenti dixerit; [d] *Abſit à te Domine*, Et hunc dicunt lapſum, fædum, horrendum, æterna damnatione dignum. Sed D. Hieronymus: [e] *Quamuis*, ait, *erret Petrus in ſenſu, non tamen in affectu. Et; mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, numquam diaboli inuentum videbitur.* Quartum, quòd in transfiguratione dixerit; [f] *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Sed Marcus eum, *quid diceret, neſciuiſſe.* ait: [g] *erat enim timore exterritus.* Qui antè ſic à ſeipſo diſceſſit, errare quidem poteſt, non autem peccare. Quintum, quòd dixerit: [h] *Non*

b Matth 26.
c Matth. 14.
d Matth. 16.
e In 14 & 16. Matth.
f Matth 17.
g Cap. 9.
h Ioan 13.

Non Lauabis mihi pedes, &c. Sed, *Iure*, ait Cyrillus,[i] *tantæ rei pondus fidelis diſcipulus pertimuit, & ſolitæ ſibi reuerentiæ functu recuſauit*. Sextum, quòd Malchi auriculam abſciderit.[k] Sed *Vide* ait Chryſoſtomus,[l] *diſcipuli pium affectum & humilitatem. Illum ſcilicet, dum ferit; hanc, dum ex obedientiâ gladium vaginâ recondit*. Nec Chriſtus ijs gladij vſum tùm prohibuerat,[m] ſicuti nec præceperat. Septimum, quòd gentes Iudaizare faceret, ſed de hoc ante dictum eſt.[n]

k Matth. 26.
l Hom. 85 in Matth Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 32 Ambr. in 22. Luc.
m Luc 22.
n Cap. 43.

CAP. LX.

Prærogatiua S. Petri ſupradictis calumnijs oppoſitæ.

HAſce ſeptem criminationes, in triplicatas, quibus à Spiritu ſancto in ſcripturis ornatus eſt, Prærogatiuas conuertam. Erunt igitur vna & viginti. Prima, quòd huius ſolius inter Apoſtolos Chriſtus nomen mutauerit.[o] Nam alijs quibusdam titulum quendam adiunxit.[p] Secunda quòd primo ſemper & vbiq; loco ponatur:[q] præterquam ſemel ad Galatas,[r] vbi. quia S. Iacobus Ieroſolymæ, id eſt, loci eius, in quo tùm verſabantur, Epiſcopus erat, Petro præponitur; quamquàm ſecundùm D. Auguſtinum,[s] Ambroſium,[t] Hieronymum,[u] & in Commentario[x] Chryſoſtomum, ne hîc quidem. Tertia, quòd ſæpe tamquam quidam cæterorum paterfamilias, Dux & princeps cùm agendo, tùm loquendo deſcribatur.[y] Quarta, quòd ſolus ſuper aquas ambularit,[z] & poſteà ſolus ad Chriſtum natando ierit.[a] Quorũ vtrumque D. Bernardus,[b] ad eius primatus ſignificationem refert. Quinta, quòd ei primò de altiſſimis S. Tri-

S. Petri prærogatiuæ in ſacris literis contentæ.

o Ioan. 1. Matth 26.
p Marc 9.
q Matth. 10. Marc 3. Luc 6. 22 Matth 27. Marc 13.
r Cap. 2.
s t, u, x, In hũc locum
y Marc c. ult. Luc 8. 9. 10. Act 1. 2. 6. 1 Cor 9. Matth 19. Ioan. 6.

z Matth 14. a Ioan. ult. b lib 2. de conſid

nitatis myſterijs diuinitùs reuelatum ſit, vt ex ea, quam Christus Dominus tantopere ornauit, confeſſione liquet. *c* Sexta, quòd æternæ firmitatis cathedram acceperit, *d* cùm Andreæ in Achaia, Iacobi Ieroſolymis, Ioannis Epheſi, portarum inferni vi & impetu iam vel labarint, vel penitus conciderint. Septima, quòd pro eo, vt pro ſe didrachmum *e* ſolui Chriſtus Dominus iuſſerit. Siue enim hoc ad ſolos primogenitos, vt Chryſoſtomus, *f* ſiue ad ſingulos, huius portorij ſolutio pertinuerit, Petri dignitas intelligitur, cuius ſolius rationem Chriſtus Dominus habuerit. Octaua, quòd in duobus illuſtribus piſcationis miraculis, (quorum prius *g* hominum ad Eccleſiam; poſterius *h* ad cæleſte regnum inductionem D. Auguſtino *i* ſignificare videtur) Nona, quòd pro eo Dominus orarit, vt eius fides non deficeret, *k* ipſeq; conuerſus fratres confirmaret. Decima, quòd ab eo pedum lotionem, *l* Chriſtus Dominus inceperit, vti monet Auguſtinus. *m* Licet enim Chryſoſtomus, *n* & Theophlactus *o* Iudam priùs ablutum opinentur, id tamen ex ipſius importunitate factum docent. Cæteros enim Apoſtolos paſſuros nequaquam fuiſſe, vt ante ſuum principem lauarentur. Vndecima, quòd virorum omnium primo reſurgens ei Dominus apparuerit, vti ſupra *p* explicatum eſt. Duodecima, quòd ei ſoli crucis mortem, qua ſimillimus ipſi foret Dominus prædixerit. *q* Vltimum enim illud, *Sequere me*, Domini & viuentis in paſcendis ouibus, & morientis in cruce ſubeunda imitationem flagitat. Decima tertia, quòd primus tamquam Princeps, vbi ab aſcenſiònis loco rediſſent, *r* Apoſtolorum ſenatum vocet, & ad quempiam Iudæ ſufficiendum comitia indicat. Decima quarta, quòd omnium primus poſt aſcenſionem & Spiritus ſancti miſſionem ad populum concionari cæperit.

c Math. 16.
d ibidem. Orig. in hunc locum S. Aug. in Pſ. cont. par. Donat.
e Math. 17.
f q 75. in hunc locum.
g Luc. 5.
h Ioan 21.
i Trac 122.
k Luc. 22.
l Ioan. 13.
m in hunc locum.
n o in hunc locum.
p Cap. 24.
q Ioan. 21.
r Act. 1.

Digitized by Google

aperit.[r] Decima quinta, quòd primus eodem tempore miraculum fecerit, dùm claudum erexit.[s] Decima ſexta, quòd cæteris Apoſtolis miracula manu facientibus anteponatur tùm quòd ſola voce, tùm vmbra ſola ipſe mira effecerit.[u] Decima ſeptima;[x] quòd tamquam dux in exercitu, ait Chryſoſtomus,[y] Chriſtianos vniuerſos luſtrarit. Decima octaua; quòd omnium primus gentibus, & Chriſtianam doctrinam, & ſacramenta communicarit.[z] Philippus enim natione quidem gentilem Eunuchum, ſed religione proſelytum Iudæum anteà baptizauit.[a] Paulum verò, licet textus Latinus[b] Ieroſolymæ gentibus locutum aſſerat, non tamen Græcus. Etſi locutus eſſet, dicere liceret eum illorum tantùm, aduerſus Chriſti fidem tela retudiſſe, non eorum conuerſioni ſtuduiſſe. Decima nona, quòd tam arctè & diligenter, quaſi Chriſtianorum caput ab Herode cuſtodiretur, & ipſius ab vniuerſa Eccleſia liberatio precibus depoſceretur.[c] *Petrum enim*, ait Chryſoſtomus,[d] *omnes quærebant.* Vigeſima; quòd in concilio Ieroſolymitano priùs locutus ſit, & controuerſiam propoſitam diiudicarit.[e] Vigeſima prima; quòd ad eum videndum & ipſius calculo ſuam doctrinam probandam D. Paulus[f] profectus ſit, non quidem quòd eo doctore ipſe Paulus indigeret, qui Spiritu ſancto magiſtro certiſſimo vtebatur, ſed vt ſuæ doctrinæ apud alios, quos inſtituere vellet, auctoritatis plus conciliaret, cum eam eius, quem ſummi doctoris loco haberent, approbatione laudatam viderent: vti rectè & prima & ſecunda defenſione contra Sadeelem inculcat Turrianus.

S. Petri prærogatiuæ è SS. PP.

Tribus hiſce prærogatiuarum hebdomadibus quartam ex SS. Patribus adiungam. Sit ergò prærogatiua vigeſima ſecunda; quòd ſolus,[g] vt Euodio D. Petri diſcipulo in epiſtola quadam, cuius Euthymius[h] & Nicephorus[i] meminerunt, placet,

[r] *Actor. 2.*
[s] *Act. 3.*
S. Ambr ſerm.
[u] *Actor. 5.*
[x] *Actor. 9.*
[y] *in hunc loc.*
[z] *Actor. 10.*
[a] *Actor. 8.*
[b] *Actor. 9.*
[c] *Act. 12.*
[d] *In hunc locum.*
[e] *Act. 15.*
Lege S. Hier. epiſt. ad Auguſtinum, Theod. epiſt. ad S. Leon.
[f] *Ad Gal. Chryſ. homil. 78 in Ioan. Hier. ep. cit.*
[g] *In epiſt.*
[h] *in cap. 3. Ioh.*
[i] *lib. 2. hiſt. c. 3.*

placet, Chriſti Domini manibus baptizatus ſit. Vigeſima tertia; quòd ſolus ab eodem, vt copioſè Turrecremata probat,[k] in Epiſcopum ordinatus videatur. Vigeſima quarta; quòd primum Hæreticorum patriarcham Simonem Magum ipſe Eccleſiæ Catholicæ patriarcha detexerit, arguerit, damnauerit, extinxerit, vt ex hiſtoriâ illâ patet, quæ Magum ſimulato volatu ſublime ad cælum enitentem, præcipiti caſu Petri Paulíq; precibus tractum & quaſſatum oſtendit. Hanc, quia Simonis proles Caluinus,[l] vt fabulam, negat; legi velim Egeſippum,[m] Clementem Romanum,[n] Seuerum Sulpitium,[o] Euſebium Cæſarienſem,[p] Cyrillum Ieroſolymitanum,[q] Epiphanium,[r] Theodoretum,[s] Damaſum,[t] Ambroſium,[u] Hieronymum,[x] Maximum[y] Gregorium Turonenſem.[z] Licet immeritò de concertationis huius die, quem auctores iſti non indicarunt, cum D. Auguſtino[a] dubitari poſſit. Vigeſima quinta; quòd cùm in omnes orbis partes Apoſtoli miſſi eſſent, ipſe orbis caput Romam petierit. Vnde S. Proſper:[b]

Sedes Roma Petri; quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo; quidquid non poſsidet armis,
Relligione tenet.

Vigeſima ſexta; quòd ei paulò ante mortem Dominus apparuerit, dixeritq; *Vado Romam iterum crucifigi*, vti præter Egeſippum,[c] D. Ambroſius[d] ſcripſit. Vigeſima ſeptima; quòd ipſius cathedræ feſtus dies agatur,[e] quo diuini propter pontificatum beneficij memoria repetatur. Vigeſima octaua; quòd ſolæ tres ipſius ſedes antiquitùs patriarchales fuerint, Romana, Alexandrina in Ægypto, Antiochena, quarum primam ipſe per ſe, ſecundam per ſuum diſcipulum Marcum Euangeliſtam, tertiam per diſcipulum alium Euodiũ tenuit. Quod cùm Neoterici[f] quidam aduertere nollent, aut neſcirent,

k lib. 1 Sum. de Eccle. c. 32. 33. 34.
l Inſtit. c. 8. n. 8.
m lib. 3. de excid. c. 2.
n lib. 6. Conſtit. cap. 7. 8. 9.
o lib. 2. hiſt.
p lib. 2. hiſt. c. 13.
q Catecheſ. 6.
r Hæreſ. 21.
s lib. 1. de hær. fab.
t In ſolit. S. Petri.
u Orat. cont. Aux.
x de vir. illuſt.
y ſer. ult. de nat. Petri & Pauli.
z lib. 1. hiſt. c. 25.
a lib. de hær. c. 8.
b lib. de ingr.
c lib. 3. cap. 2.
d loc. cit. Athan. in Apol. profuga.
e Mart. 18. Ian.
f Lut. lib. de po. Cal. c. 8.
§. ten. & 119.

rent mirum non eſt, ſi de patriarchalium Sedium numero & ordine tam anxiè vacillarint.

CAP. LXI.

Breuis beatiſsimi Apoſtolorum Principis laudatio, operisq; totius concluſio.

VT vero tandem ad optatum hiſtoricæ huius nauigationis portum perueniam, nequeo mihi temperare, quin veriſſimum illud Prophetæ dictum hîc vſurpem: [a] *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* & illud item; [b] *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Certè enim, vt Theodoretus ait, plus eſt quod Petro Dominus contulit, quàm quod ſibi ſumpſit. Is namq; aut verbo, aut contactu manus aut veſtis ægra corpora ſanabat: Petrus autem ſola etiam vmbra: quo virtutis & potentiæ genere non legimus vſum Dominum fuiſſe.

[a] Pſal. 138. v. 17. [b] Ioan. 14. v. 12.

Petri virtus in miraculis edendis.

Quare *ſi opem ferre poterat vmbra corporis* (inquit S. Auguſtinus, [c]) *quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam tranſeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias, auro pretioſius habetur, ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis? vt vmbra, inquam, tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis, habere potuit in ſe uim ſalutis: quanto magis de corpore meruerunt attrahere ſalubritatem ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Si ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante Martyrium, quantò magis efficax eſt poſt triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes Martyrem reddiderunt. Felices catenæ quæ nudatis*

[c] Serm. 29. de ſanctis.

Digitized by Google

PROFESSIO AVCTORIS.

QVÆCVNQVE ET HIC ET ALIBI SCRIPSI; EA CVNCTA S. A. ET C. R. ECCLESIÆ IVDICIO, ET PIORVM THEOLOGORVM CENSVRÆ, SVBIICIO: SI QVID IGNARO ELAPSVM, QVOD SVMMO ORBIS CHRISTIANI CENSORI IVDICI DICTATORI PONT. O. M. MINVS PROBETVR IMPROBO DAMNO ET PRO NON SCRIPTO HABERI VOLO.

F. CAROLVS STENGELIVS ORD. S. BENEDICTI.

Cum facultate ſuperiorum.

Ll AV-

Digitized by Google

AVCTORES PRÆCIPVI, è quibus ſyntagma hoc confecimus.

ALphonſus Salmero S. I.
Cæſar Baronius Card.
Chriſtianus Adricomius.
Cornelius Ianſenius Epiſcopus.
Franciſcus Lucas Brug.
Franciſcus Toletus Card.
Ioachimus Perionius Benedictinus.
Ioannes Lorinus, S. I.
Laurentius Surius Carthuſ.
Nicolaus Serarius S. I.
Sebaſtianus Barradius S. I.
Simeon Metaphraſtes.

Ceterorum Auctoritates cum ad marginem adjiciantur, non opera pretium viſum eſt, huc eorum ſyllabum adſcribere.

Digitized by Google

INDEX.

Cap. 1. S*Imonis Petri parentes & patria. Idem ab Andreâ ſratre ad IESVM ad ducitur.* fol. 1.

Cap. 2. *Simon Petrus, cùm IESVM ad mare docentem turbam, in nauim recipiſſet, edito miraculo captorum piſcium, eius potentiam agnoſcit.* 7.

Cap. 3. *Simon Petrus à familiari arte piſcandi piſces, ad perpetuam ſequelam, artemq́ piſcandi homines à IESV vocatur.* 13.

Cap. 4. *IESVS domum Petri ingreſſus, ſocrum eius febricitantem ſanat.* 18.

Cap. 5. *Petrus ad Apoſtolatum cum ceteris vocatus, vbiq́ primus recenſetur, & quare.* 21.

Cap. 6. *Petri prima de IESV confeſſio, quòd ſit Chriſtus Filius Dei.* 24.

Cap. 7. *Petrus viſo IESV ſuper mare ambulante, eius permiſſu idem aggrèditur.* 27.

Cap. 8. *IESVS Petri de ſe fidem probat, & ſuper eum vt petram ædificandam à ſe promittit Eccleſiam.* 35.

Cap. 9. *De clauibus Regni cælorum, & ſummâ poteſtate Petri, & ſucceſſorum eius ſummorum Pontificum.* 48.

Cap. 10. *Petrus audire abhorrens mortem & paſſionem à IESV ſubeundam, ab eodem culpatur.* 55.

Cap. 11. *Octauo pòst die à confeſſione Petri, transfigurat ſe IESVS in monte, præbens diſcipulis ſuis ſpecimen gloriæ quam à cruce exſpectaret, & teſtimonium accipit à Moſe, Elia, ac Patre.* 59.

Cap. 12. *IESVS pro Petro, ſicut pro ſeipſo, iuſſit didrachmum ſolui exactoribus.* 73.

Cap. 13. *Petrus à IESV docetur peccata in nos admiſſa facilè eſſe condonanda.* 78.

Cap. 14. *Petrus à IESV, de felicitate eorum qui ſua omnia Dei cauſa reliquerunt, inſtruitur.* 80.

Cap. 15. *Petrus IESVM à lotione pedum ſuorum prohibet primò, ſed ab eodem inſtructus, mox vltrò admittit.* 86.

Cap. 16. *Petrus per Ioannem, proditorem IESV tacitè expiſcatur.* 92.

Ll 2 Cap. 17.

INDEX.

Cap. 17. *Petro arrogantiùs promittenti ſequelam, prophetat IESVS binam negationem.* 95.

Cap. 18. *Petro cæteris fortiùs ſe iactanti, declarat IESVS futuram ipſius quàm cæterorum grauiorem offenſam.* 100.

Cap. 19. *Petrus exerto gladio amputat Malcho auriculam dexteram, ſed mox à IESV prohibetur, & acriter reprehenditur.* 104.

Cap. 20. *De primâ Petri negatione.* 112.

Cap. 21. *De ſecundâ Petri negatione.* 121.

Cap. 22. *De tertia Petri negatione.* 124.

Cap. 23. *Petrus agnoſcit & deflet ſuum peccatum.* 128.

Cap. 24. *Petrus & Ioannes currunt ad monumentum, & non inuento corpore IESV, admirantes redeunt domum.* 135.

Cap. 25. *Petrus cum aliquot condiſcipulis videt IESVM ad mare Tiberiadis, ibidemq́ cum eo eſt pranſus.* 140.

Cap. 26. *Confirmatur Petro à IESV primatus totius Eccleſiæ.* 147.

Cap. 27. *Petro martyrium & mortis genus à IESV prædicitur.* 157.

Cap. 28. *Petrus, vt caput cæterorum electionem Matthiæ Apoſtoli procurat.* 163.

Cap. 29. *In die Pentecoſtes ad vnicam Petri concionem tria millia Iudæorum conuertuntur.* 165.

Cap. 30. *Petri primum miraculum claudi ſanatio, & aliorum quinq́ millium ad fidem conuerſio.* 171.

Cap. 31. *Petri in Conſilio Iudæorum imperterrita conſtantia.* 175.

Cap. 32. *Petri terribile iudicium contra Ananiam fraudatorem, eiusq́ coniugem Sapphiram.* 176.

Cap. 33. *Petri in miraculis edendis excellentia, ex quâ primatus eius aſſeritur,* 178.

Cap. 34. *Petrus carceri includitur, ſed ab angelo liberatus in Concilio caditur. Iacobum Ieroſolymitanum Epiſcopum ordinat.* 181.

Cap. 35. *Petri geſta apud Samaritanos.* 182.

Cap. 36. *Petrus Antiochenam Eccleſiam fundat. Æneam paralyticum ſanat. Tabitham mortuam ſuſcitat.* 184.

Cap. 37. *Petrus Cornelium Centurionem ad fidem Chriſti cum familiâ conuertit, & baptizat.* 178.

Cap. 38. *Petrus ab Herode in vincula coniectus, per Angelum educitur. De eiſdem vinculis nonnulla narrantur.* 191.

Cap. 39.

Digitized by Google

INDEX.

Cap. 39. *Petrus Ieroſolymis Romam proficiſcitur; & quæ in eodem itinere memorabilia peregerit.* 196.

Cap. 40. *Romana Cathedra à Petro erigitur, & ab eodem Alexandrina Eccleſia per Marcum fundatur.* 201.

Cap. 41. *Complures Eccleſiæ Occidentis à Petro fundatæ, ijſdemq; Epiſcopi præfecti.* 205.

Cap. 42. *S. Petri cura erga Germaniæ, Galliæq; populos, & ibidem per diſcipulos geſta.* 207.

Cap. 43. *Petrus Ieroſolymam reuertitur, & ibidem Concilium Apoſtolorum celebratur.* 212.

Cap. 44. *De controuerſia Petri & Pauli Antiochiæ.* 214.

Cap. 45. *Petrus iterum Romam redit.* 218.

Cap. 46. *Petrus Romæ ſecundam ſcribit Epiſtolam.* 219.

Cap. 47. *Quæ Petrus Romæ cum Simone Mago egerit: & de Simonis miſerando interitu.* 220.

Cap. 48. *Petrus Neronis iuſſu comprehenditur. Item de carcere eius.* 223.

Cap. 49. *Petrus cruci affixus martyrio coronatur.* 226.

Cap. 50. *Petri ſepulchrum quam glorioſum: etiam à Regibus religionis ergo inuiſitur. Petrus Romam contra hoſtes protegit, quod varijs exemplis illuſtratur.* 229.

Cap. 51. *Petri effigies, ſtatura, victus. Idem quamdiu Romæ ſederit.* 232.

Cap. 52. *S. Petri Reliquiæ, quanto in honore vbiq; habitæ.* 233.

Cap. 53. *S. Petri celeberrima Eccleſiæ enarrantur. Vaticana à quibus exornata.* 236.

Cap. 54. *S. Petri natalis quam celebris. Munera pretioſiſſima à varijs S. Petro Romæ oblata.* 241.

Cap. 55. *S. Petrus variè apparens, à quibus viſus.* 245.

Cap. 56. *S. Petri non nulla adhuc miracula deſcribuntur.* 252.

Cap. 57. *Regna & Prouinciæ S. Petro donata, & Romanæ Eccleſiæ vectigalia.* 255.

Cap. 58. *Diuinæ vltiones contra eos, qui S. Petro iniurij fuerunt.* 256.

Cap. 59. *Calumnia Hæreticorum in S. Petrum.* 258.

Cap. 60. *Prærogatiua S. Petri ſupradictis calumnijs oppoſita.* 259.

Cap. 61. *Breuis beatiſſimi Apoſtolorum Principis laudatio, operiſq; totius concluſio.* 263.

FINIS.

BIBLIOTEC... IN ROMA

Digitized by Google

MENDA SIC EMENDA.

Pag.	Verſ.		
4	15	Simeonem	Simonem.
5	7	Simeonis	Simonis.
Ibid.	29	coditio	conditio.
16	11	promiſſione	promiſſioni.
19	19	nobiliiauit	nobilitauit.
20	in marg.	ſn cu a a	ſanatur.
71	7	expaueſcant	expaueſcat.
95	9	promittendi	promittenti.
99	6	animæ	animo.
100	7	eundem	eundum.
115	20	ud	ad
159	1	ut	aut
Ibid.	3	occiderunt	occiderunt.
162	14	tum	tuum.
Ibid.	25	relique	relinque.
165	in marg.	accipirent	accipiunt.
185	25	factâ	facti.
202	5	dum	diem.
203	16	mercimoniam	mercimoniæ.
209	24	ta-bitum	ta-bidum.
217	26	Petri	Petro.
220	17	cum	eum.
225	18	oriminoſocum	criminoſorum.
226	13	meliorum	meliorem.
227	2. adde	nam; Petrus in gratiam Iudæorũ, in ea regione, quam iiſdẽ.	
230	3	remoitioribus	remotioribus.
232	4	miri	muri.
235	24	605	665.
241	4	quinquaginca	quinquaginta.
Ibid.	21.	natatem	natalem.
Ibid.	24	Pulcheriam	Pulcheriam.
244	9	ſcyptrum	ſchyphum.
246	17	os	eos.

AVGVSTÆ VINDELICORVM.

Apud SARAM MANGIAM Viduam.

M. DC. XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google